

Miguel Monteiro



Litterarum Lis

Veterum Sapientia apud Leonardum Bruni

Dissertação de Mestrado em Estudos Clássicos, na área de especialização em Poética e Hermenêutica, orientada pela Doutora Maria do Céu Fialho e pelo Doutor Luigi Miraglia, apresentada ao Departamento de Línguas e Literaturas da Faculdade de Letras da Universidade de Coimbra.

Universidade de Coimbra

Faculdade de Letras

2013

Faculdade de Letras

Litterarum Lis

Veterum Sapientia apud Leonardum Bruni

Tipo de trabalho	Dissertação de Mestrado
Título	Litterarum Lis — Veterum Sapientia apud Leonardum Bruni
Autor	Miguel Monteiro
Orientador	Maria do Céu Fialho
Coorientador	Luigi Miraglia
Júri	Presidente: Carmen Leal Soares
	Vogais:
	1. Nair de Nazaré Castro Soares
	2. Luigi Miraglia
Identificação do Curso	2º Ciclo em Estudos Clássicos
Área científica	Estudos Clássicos
Especialidade	Poética e Hermenêutica
Data da defesa	31-10-2013
Classificação	19 valores

EPITOME LUSITANICA

Esta tese propõe-se o objectivo de avaliar a posição do chanceler e humanista florentino Leonardo Bruni (1377-1444) face à capacidade do seu tempo de receber a herança da Antiguidade Greco-Latina. Está dividida em duas partes.

Na primeira tentamos levar a cabo um juízo de valor sobre o relativo consensus doctorum atingido dentro dos estudos brunianos, com um enfoque particular nas virtudes e falsas-partidas proporcionadas pelo polémico livro do estudioso alemão Hans Baron, *The Crisis of the Early Italian Renaissance* (1955).

A segunda secção, bastante mais extensa que a precedente, é um exercício de leitura cuidada e exaustiva dedicado à primeira parte dum dos primeiros livros publicados por Leonardo Bruni, os *Dialogi ad Petrum Paulum Histrum*. Esta leitura tem a intenção de perscrutar a força dramática da obra e de interpretar coerentemente as ambiguidades e as indecisões com que cada personagem entretece os seus argumentos, para desse modo a revelar como uma obra-prima do diálogo.

EPITOME LATINA

Hac dissertatione nobis consilium est investigare qualis sese Leonardus Bruni (1377-1444) florentinorum cancellarius degerit erga suorum temporum facultatem Veterum Græcorum Romanorumque hereditatis accipiendæ. In duas partes dividitur.

Quarum in priore doctorum consensum scrutabimur, ut comperiamus utrum necne verus consensus exstet vel exstiterit apud studia quæ sæpe Bruniana nuncupantur. Quod ut faciamus imprimis animum intendemus in illum notum atque famosum librum *The Crisis of the Early Italian Renaissance* (1955), illius Hans Baron, ejusque virtutes et vitia indagabimus.

In altera vero, quæ priore sat longior exstat, attente et magnâ curâ adhibitâ Priorem Partem cujusdam Leonardi Bruni juvenilis libri legere conabimur, scilicet *Dialogorum ad Petrum Histrum*. Qua quidem lectione mihimetipsi est propositum vim dramaticam offendere atque referre, nam, expositis omnibus dubitationibus, mendis, difficultatibusque quas in colloquio nanciscemur, credo fore ut benevolis lectoribus aperire valeam hoc opus inter optimos dialogos, qui unquam scripti sunt, numerari posse.

EPITOME ANGLICA

This thesis intends to assess the position of the Florentine and Aretine scholar-chancellor Leonardo Bruni (1377-1444) towards his age's capacity to receive the legacy of Greco-Roman Antiquity. It is divided into two sections.

The first one aims for an appraisal of the consensus doctorum, or lack thereof, that has attained upon the field of studies oft named Bruniana focusing on the faults and verities of the highly controversial book by the German scholar Hans Baron, *The Crisis of the Early Italian Renaissance* (1955).

The second section, far longer than the previous, aims to be an exercise in close-reading directed to the first section of Leonardo Bruni's early book, the *Dialogi ad Petrum Paulum Histrum*, where a careful ascertainment of its dramatic force purports to give pride of place to the ambiguities and indecisions concealed in each character's speeches, thereby recognising it as a masterwork of the dialogue form.

às saudades do meu avô (1927-2009)
& à minha mãe e à minha avó Palmira
longissimarum refrigerium viarum

Respublica
brokenly recalled,
its archaic laws
and hymnody;

and destroyed hope
that so many times
is brought with triumph
back from the dead.

Geoffrey Hill



Athanasius Kircher

INDEX

Prælusio	7
Isagoge in Leonardum	10
I. Fomes.....	10
II. Fax.....	22
III. Flamma	27
Dialogi ad Petrum Histrum	29
1. Præfatio.	31
2.1. Pars Prior. Scæna.	38
2.2. Colucci Contio Prior.	42
2.3.1. Nicolai Contio Prior	47
2.3.2. Coluccius fatue fatus.	59
2.3.3. Nicolai Contio pergit.	59
2.4 Colloquium commune.....	71
2.5 Colucci Contio. <i>Aufstieg und Niedergang</i>	79
2.6 Nicolai Contio Altera. <i>Ad incitas</i>	84
2.6.1 De Dante.....	86
2.6.2 De Petrarca.	90
2.6.3 De Boccacio.....	93
2.6.4. Redimita coronis Florentia tribus.....	93
2.7 Colucci. <i>Clausula Heroica</i>	94
Index librorum.....	97

Prælusio

Equidem fateor non tam cupide Orpheum, ut poetæ tradunt, Euridicis amore infernas adiise sedes, quam ego, si spes modo aliqua offeratur antiquos illos præstantis viros intuendi ad ultimas penetrarim terras.

Leonardus Bruni

Studio nobis est veterum litterarum cultoribus desinere nunquam nostrarum artium merita facere palam. Ruant omnia licet, quæ olim fulcimenta fuere et fundamenta cultus antiqui exquirendi, tamen infixi manemus immotique, impetuum securi et eadem argumenta iterantes, quibus usi sumus per decades sæculave. Sum autem ego eâ persuasione, eo ut credere adducar nullam sedem esse satis firmam, quæ periculum nondum subiverit. Qua de causa constitui, quo altius provincias nostras perspicerem, tempus hominesque scrutari quibus, aliter ac nostra tempestate, studia, quæ nunc classica appellamus, adeo vigerent et florerent ut dici possent ætatem quasi studiorum gubernatores exstitisse, nedum quorum tunc fautores auctoritate et præstantiâ præ aliis hominibus doctis pollerent. Ætas Renatarum Artium apparet igitur tempus aptissimum eis, qui experimentum velint facere in se, in suis opinionibus, in sua denique fide. Conscius sum nonnulla non probata nimis hisce in verbis latere: nam, illis dictis, confiteri cogor me non Renatis Artibus suarum ipsarum causa studere, sed, quasi ille, qui ex cavea exivit, et cui Solem illico intueri non datur, quo propius veteres tangam; sicut enim ait Seferis ille, 'Quocumque tendo, Græcia me lædit': «Όπου και να ταξιδέψω η Ελλάδα με πληγώνει.» Nec multum est condolendum, nam, dum studia nostra pergunt esse humaniora, nec fiant eorum, quos colimus, scientia positiva, semper nostra res agetur, semper gratiam nobismet ipsis poscemus.

Aliud patescit dum omnia hæc enarro. Quæ insunt peculiari quadam ratione ad me spectant. Etenim, si qua fata sivere, quærens virum qui in antiquis mersus esset, vere εμεωυτὸν ἐδιζησάμην. Spero me idcirco non nimio opere viâ devertisse, sed si iter metiri valui adusque, et dissertationem perficere (neque meis curis angi), id procul dubio debeo amicis et meis necessariis qui mihi per totum hunc annum flagitiosum fideliter adstiterunt. Nec vero modo eis gratias agere volo quod hoc ad finem duxerim, vero imprimis Mariæ do Céu Fialho, qua absente facultas mihi nunquam foret hanc dissertationem scribendi, et quâ confisâ verba hæc legi possunt. Tum Aloisio Miraglia, humanissimo amandissimo qui tamquam pater me excepit; vere verba mihi deficiunt ad tantam doctrinam humanitatem charitatem describendas. Si humanismum selegi, si talia scripsi, tuâ fuit operâ; tuâ operâ appeto profutura quo tendo. Gratias.

Postea vero nominandi amici. Abel Schutte, colloquiorum propulsor et dux disputationum; Ana Moás, amica constans atque dilectissima, et in gaudiis præsens et in ærumnis; Anna de Medeiros, quæ modo videtur, neque unquam reapse abest; Johannes Diogo Loureiro, unus dignus qui græce vocetur θαυμαστός τε καὶ δικάϊος τε φίλτατός τε; Maximilianus Wallstein, quo comite per totum annum, pace Diogeni, Humanitatem quæsivi at, væ nobis, modo *Hominem* nacti sumus!; Monica Marques, pro tot horis circa artem mousicam, libros atque pelliculas consumptis; et Patricia Lino, quæ in meum ac hominum corda sementem facit arboris mortis ac vitæ.

Præterea nullum velim præterire ex Vivarionovensibus, at singulorum nomina indicare utinam daretur, — Eusebius Tóth, Georgius Laminarius, Gerardus Froylan, Julianus Bouúaert —; sciatis tamen vos omnes, Romæ qui tam benevolenter me semper accepistis, docuistis, dilexistis, immo corde servari. Velim tamen Ignatium Armella extollere, doctum tum in humanistis tum in humanitate, et Matthæum Knispel da Costa, qui ex condiscipulo factus est mihi magister, ut eis gratiam agam quod opusculum hoc meum linguâ latinâ conscriptum, quantillum ipsum opus sivit, pro summa qua sunt doctrinâ et erga me amicitîâ latinum reddiderunt.

Demum duo, Conimbricæ fortasse præ ceteris quibus magistris, licet hanc thesin non gubernaverint, via, quam ingressus sum, mihi collata est: Alexander Sá, cujus gratia in principio hujus opusculi epigramma illius Heidegger positum est, quasi documentum gratitudinis; et Fredericus Lourenço, «*dulces doctus modos*», primus qui artis mousicæ primitiis vere me donavit. Etiam Jill Kraye, prima quæ acute prius capitulum legit, recensuit, et callidas emendationes præbuit; et Josepho Ciafardone, quod in sphalmatis detegendis opitulatus est, velim gratias agere *saxeas*.

Quotiescumque Leonardi opera indicabo, paginæ per [#] illius Pauli Viti *Leonardo Bruni: Opere letterarie e politiche* referentur (semper Latine, itaque semper *numeri pares*). Alioqui, verbi gratia ad opera non eo volumine inclusa, laudabuntur de more.

Ut meam scribendi rationem aperiam, per totam hanc dissertationem sum illum scribendi modum assecutus, quem coram vulgavi mihi que persuasi apud MONTEIRO (2013).

Isagoge in Leonardum

I. Fomes

Im ersten Anfang: das Er-staunen.

Im anderen Anfang: das Er-ahnen.

M. Heidegger

Quaestio illa, quandonam scilicet constituendum sit illius aetatis initium, qua bonae artes renatae esse traduntur, quando vero illa altera ejus loco subsecuta sit, quam doctis viris *Modernitatem* appellare placuit, non aliter ad nos sese habere existimamus, quam si de aliqua scena ageretur, in quam nos ipsi aliquando quasi partes agentes simus inducti. Etenim quotienscumque ad ea tempora prospicimus, quae inter Dantis obitum (1321) atque captam Constantinopolim (1453) interjecta esse dicuntur (sic enim tradita fert opinio), facere non possumus quin aliam quasi personam atque homines olim gestabant nobis sumpsisse videamur. Fit praeterea ut, quum ipsum nomen Renatarum Artium, seu recentioribus quoque linguis alia, qualia sunt *Renascimento*, *Renaissance*, *Rinascimento* nanciscimur¹ (licet Germanice verbum *Neuzeit* aliter sonet), haud parum stupeamus, nam haec vocabula, quamvis natum aliquid portendant, id non novum, ut credere est, sed potius renatum esse autumant.

De hoc iterum nato — quod forsitan Graece *εἰραφιώτης*² — spem continuo amittamus non est necesse — quoniam saepenumero fit ut id quod in lucem altera occasione redactum est, etsi vetus, adeo vestes mutetur aliudque ita appareat ut nequaquam possimus bona fide fateri esse idem quod primo offenderamus. Quantum quidem conjectura suspicari licet, multo magis prodest hunc cogitandi modum sequi nominaque tradita scrutari, quam ipsam Renatarum Artium notionem minuere et, altioribus hisce in verbis veritatis nihil exstare credentes, vel nobismet ipsis persuaderi nihil jam esse, cur cuidam redividæ rei suspiremus,

¹ Adhuc in priscis linguae italicæ documentis verbum *Risorgimento* ad *Renascimento* dicendum conspicimus, quod postea suum ad solitum sensum modo usurpatum est, scilicet ad Italiae in unam modo patriam redactae mentionem faciendam. Prosunt HAY & LAW (1989) P3-4 et BARON (1959).

² Obiter dicam de ea linguae graecae orthographia quam mihi optavi: scribendi praecipua solita sequor, exclusis tamen spiritibus lenibus: semper igitur «ῥάδια ερωτήματα» nunquam «ἐρωτήματα». Ab antiquis discere significat etiam scire quinam ex moribus traditis putandi sint ut, quasi arbor mærescens, florescere valeant. Spiritus leves suo munere antiquitus jam functi sunt, quum interstitia inter verba continue conscripta agnoscere sinebant: nunc tamen parum prosunt, fiunt igitur, *por amor al griego*, excutiendi.

ideoque labores nostros Antiquitatis modo Studiis impendendos esse, seu, tamquam si idem esset, meræ Scientiæ Antiquitatis .

Namque illam notionem secuti non est quin alio modo credamus Renatas fuisse Artes diutius quam duobus, aut summum tribus sæculis, et postea in aliquid aliud omnia mutata esse, tametsi illud aliud, quid sit, plerisque prorsus non referre videtur. Nos autem curnam talem notionem tantopere redarguere cunctemur, equidem nescio, sed tamen caremus adhuc probabilibus argumentis, ut sine controversia nexus cum antiquitate certissimos esse credamus. Quæ quidem quæstiones, licet otiosiores atque meri verborum joci esse videantur, mea quidem sententia adversatores habent, quibus nulla alia in re vehementiores invenias. At qualia ista, inquires? Exploremus igitur. Num quid illis temporibus reapse renatum est? Si ita est, porro fit explorandum, utrum jam adoleverit necne. Si adolevit, ubinam eius naturam videre est? Sin autem, potestne iterum renasci? Cur, aut cur non? Atqui de hominibus, qui Ætate Renatarum Artium ante florere, quid dicamus? Qua persuasione moti credere illi quicquid mortuum esset mortuum esse, qua re carebant ipsi erga antiquos? Qua denique nos cum iis similitudine jungemus, aut quo discrimine separamur?

Etenim sæpe audivimus in eo quod ad Studia Antiquitatis spectat res nimis mutatas esse et non modo in dies multo magis mutatum iri, immo vero in deterius. Atqui in hac re duo sunt, quæ quasi principia cujusvis disputationis fundemus indeque procedamus: Ac primum quidem illud est, ut de præsentia fastidiamus, verum studio nimio rerum antiquarum exardescamus, quod quidem ego non aliter voco quam sæculum odisse, nec multum prodest (utut illud vocabulum 'prodesse' intellegimus). Deinde possumus credere tales cogitationes recte habere, nosque ultra progressos esse in quavis re, quod tamen sub *Querelæ* nomine latet, et optantibus nobis nunquam ab Ezra Pound illo dici desitum est, «*The news in the Odyssey are still news.*»³ In hac tandem dissertatione maxime elaborare conabor, ut hoc prorsus illi opponam sententia «*Since the ancients had no ancients, the consequence of imitating them is to leave them behind.*»⁴

Postremo et potissimum interrogare est necesse utrum recte faciamus, cum Antiquitati operam damus, si omnem curam de ejus vi in tempus nostrum secludamus, quandoquidem, proh dolor!, sæpe fiat ut litteras tantum inspicere discamus neque ullo modo curare quid inde nobis traditum sit; huc adde quod in provincia antiquitatis sæpe res nimio plus exquisitas rimemur simul atque quoslibet alios textus confidentius negligamus atque Humanismum, quod unum ac solidum sit oportet, in varias Humanitates divulgum

³ POUND (1987)

⁴ MANSFIELD (2000)

effundamus, sicut præclare ac perbelle Grafton atque Jardine suum librum claudunt, cum dicunt «*Whether we like it or not, we still live with the dilemma of late humanism: we too can only live in hope, and practise the humanities.*»⁵ Græci ab Jove sua opera auspicabantur. Sit etiam nostro opusculo initium peculiare. Grafton bene agnoscit nos in maximo rerum discrimine versari, sed non ob hanc rem manus dare debemus. Magnum ante nos habemus opus suscipiendum, immo ut verbis illius Strauss utar, opus «*sisyphean or ugly, when one contrasts its achievement with its goal*» quia vix certi esse possumus nos ex discrimine elapsuros esse. Tamen, est illud opus «*graced by nature's grace*», nec jussu Grafton id prodere debemus.

Cujus jussu nobile nomen *Studia Humanitatis* ultro pro *Philologia Classica* traderemus. Favete linguis. Deterrima enim hæc exstat omnium studiorum provinciarum, nec illam vero dico, quæ a Nietzsche piata est quum *philosophiam factam esse quæ philologia fuit* ⁶ dixisset (annotans Wolfii adagium quod antiquitus Senecæ fuerat), sed illam potius, cujus ope studia Antiquitatis suum locum amiserunt hodieque deplorant amissum — quis autem tam minime litteris imbutus superest qui credat tribuendas esse vires studiorum materiei quæ videtur de minimis rebus nec de hominum vita agi? Ego quidem censeo recte studio pro virili animos excitari thematum quæ aliquid prodesse saltem polliceantur. Quippe hac una spe nostris temporibus Philosophia, Psychologia, et alia adhuc exstant — ne de Economia et ejus similibus dicamus.

In his fretus persuasionibus sum hanc dissertationem tandem aggressus quoniam me invenisse credidi et homines temporaque quibus hæc non ita paterent — qui igitur sola vita philosopharentur —, ut adhuc sermo esset utrumne ipse humanus cultus secus se habere quam in Antiquitate fultus an non potuisset. Sæpiuscule nobis ejus studiosis confitendum videtur Renatarum Artium Ætatem non tam bene audire propterea quod, tradito nomini

⁵ «As philology became value-free and pedagogy became pragmatic, the larger value of both enterprises was called into question. Why study the ancient world if not to become more virtuous? But a training in virtue now seemed to be one quality that neither scholars nor teachers could offer. Since Montaigne — one of the first to offer these criticisms in a cogent form — the claim that the liberal arts would produce 'new men', men of an enhanced virtuous disposition, has often been repeated; and new generations of believers in the ideals of early humanism have tried to show that some new form of literary education could achieve this goal. [...] Like them, we watch as our most gifted students master the techniques and methods of textual analysis, the command of ancient and modern languages (which they can transpose effectively to new and developing disciplines), but in the main discard that over-arching framework of 'civilised values' by which teachers of the humanities continue to set store. Whether we like it or not, we still live with the dilemma of late humanism: we too can only live in hope, and practise the humanities.» GRAFTON & JARDINE (1986) P199

⁶ «Auch einem Philologen steht es wohl an, das Ziel seines Strebens und den Weg dahin in die kurze Formel eines Glaubensbekenntnisses zu drängen; und so sei dies getan, indem ich einen Satz des Seneca also umkehre: "*philosophia facta est quæ philologia fuit.*"» NIETZSCHE (1869)

confisa, ipsam rationem qua exstet sumeret modo ex antiquis hominibus virtutibusque imitandis. Immo dixerim, est cur *La Querelle des Anciens et des Modernes* Francogallice dicatur: sumus enim illius sententiæ ut primos humanistas quodam cæco anhelitu motos ducamus, et modo post artes in Galliam translatas et scientiam naturalem in dubitationem revocatam ab eversione rerum quæ scientificæ nomen sumit (illa imprimis a Bacone cœpta) in certamen esse discessum.

Hæc igitur, quæ sum scripturus, ostendunt jam inde ab hujus Ætatis primordiis saltem aliquos homines, eosque principes, altum cogitasse nec prima facie accepisse sapientiam ab Antiquitate traditam, immo potuisse cum antiquis dissentire, interdum etiam vehementius, nec ea de causa eos colere desiisse, immo semper quasi cum necessariis honesta colloquia flagitantes eis primas tribuisse. Permagnum in horum oculis aspicio exemplum. Igitur quales Petrarca et Leonardus Bruni, Coluccius Salutati et Ficinus in gradu sunt, credo equidem nec vana fide, eos posse nos multo magis de nostra conditione docere quam nosmet ipsi, quatenus Antiquitatis studiosos nos esse gloriamur, existimare videmur. Nec ullo modo dubito quin laborem parum exiguum satagam hujus notionis vel minimam historiam excussurus; detur tamen venia, dum duos tantum viros doctos præcipue atque funditus viros doctos rimatos exploro, quorum tamen alter haud raro in mediam dissertationem tolletur.

Anno 1860 in lucem editus est ille toto notus in orbe liber, qui *Die Kultur der Renaissance in Italien* inscribitur cuique par, post jam 150 annos, dicitur non esse neque fore videtur, et in quo Burckhardt multis atque accuratis argumentis adhibitis id præclare defendit, præclare scilicet contigisse eâ quam tractamus ætate, ut homines sese quoddammodo unicos, vulgo *individuos*, esse comperirent. Quidnam hoc sibi velit fortasse requiris, cui responderet ille homines primitus intellexisse quum alios ab aliis discriminari (et hoc eis significavisse eos posse lineas sui præcipuas jactare) tum, his gentium familiæ populi nexibus semotis, se non necessario cum ceteris sejungi debere, et hos nexus, ubiubi erant, ab hominibus compositos esse — republicas atque nationes, teste Burckhardt, non jam naturales et a Deo ordinatas exstare⁷, sed quadam artificiosa ratione in actum redactas esse — quod ab eo nuncupatum est *der Staat als Kuntswerk*.

⁷ Quod, quicquid porro de Burckhardt sentiant, secundum multorum opiniones (vide e.g. BLACK (1992) 114-123), solum discrimen annotari potest inter civiles notiones Ætatis quæ Media dicitur et Renatarum Artium, quod hæc ab ordine quodam aliunde sumpto rerum conspirationem sumeret, illa huic non jam ita credere posset. De his serius.

Admodum verisimile ducitur nullus liber maiorem habuisse vim in Renatarum Artium studia eo illius Burckhardt⁸ ut prophetia per se implere videatur. Animadvertendum autem est quantum illa notio singulis hominibus pondus tribuat. Etenim si quis potest per se, pro virili parte, quasi omnia post se trahere, semper in medullis quædam repulsio ad hominum cœtus versus inerit. Reges et artifices maioribus honoribus cumulabuntur quam senatus consessus concilia. Hoc mea sententia non disputatur, et tametsi Burckhart autumet quod «*die höchste politische Bewußtheit, den größten Reichtum an Entwicklungsformen fündet man vereint in der Geschichte von Florenz, welches in diesem Sinne wohl den Namen des ersten Modernen Staates der Welt verdient*»⁹, demum fateri necesse est ab ejus libro veros heroes effici ex despotis et tyrannis (inde a Frederico II usque ad Borgiam, Maclavelli *Principis* vestigia presso pede secutus).

Si Burckhardt est Maclavelli *Princeps*, Hans Baron est *Discorsi*. Germanus hic anno 1928 primo¹⁰ vocabulum *Bürgerhumanismus* cudit, sed ejus totius rei maxima interpretatio non ante 1955 apparuit. Quæ vero, sub nomine *The Crisis of the Early Italian Renaissance*¹¹, una fortasse potuit cum Burckhardt auctoritate pondereque contendere.

*Baron appears to have designed "civic humanism" to modify, if not replace, Jacob Burckhardt's concept of Renaissance. Whereas Burckhardt's Renaissance centered on "the state as a work of art," a work made of individuality linked with tyranny and absolutism, Baron's civic humanism is a collective sentiment both republican and patriotic.*¹²

Civic Humanism legimus (hinc *humanismus civilis*). Quasi videret omnia præmia tribui singulis, Baron abnuit. In Italia, inquit, immo Florentiæ sæculi XIV, homines fuere qui operam darent Antiquitatis studiis, Petrarçæ instar. Qui homines tamen seu adhuc nimis adhærebant vitæ monachali et officia civilia spernebant qua sæcularia, seu si in officiis publicis tempus degebant, regibus et tyrannis, imprimis Sacri Imperii Imperatori, favebant. Interim factum est ut urbs Medionalum, duce Giangalleazo Viscontæ gentis, non modo totius Lombardiæ potita esset, sed etiam maximæ Italiæ septentrionalis et mediæ partis (remotis Venetiis), adeo ut

⁸ Notitiæ innumeræ exstant. Ut exempla lectu digna proponerem seligi YORAN (2007), sed etiam BROWN (1990) et HANKINS (1995).

⁹ BURCKHARDT (1860) P45

¹⁰ BARON (1925)

¹¹ Duæ hujus libri editiones exstant. Nominata 1955 et ementata 1966. Quod ad hanc thesin spectat maxime me pænitet anteriorem in duo volumina divisam, et pluribus annotatonibus refertam, legere nequivisse. Nam nusquam in Lusitaniæ bibliothecis invenitur, neque in Romanis quas petere potui. Quotiescumque ergo laudatur agetur de BARON (1966).

¹² MANSFIELD (2000) P224.

omnibus videretur Florentiam, quæ in civitatibus sola supererat, actum exitialem dumtaxat præstolari.

Jamdiu Florentia sui ipsius imaginem utpote Libertatis tutricem et sibi et reliquæ Italiæ finxerat¹³. Sed sub Libertatis nomine quidnam vere lateretur vix intellegebatur. (Altius quum scrutabimus persuadebimur hanc esse facile crucem et certaminis campum.) Libertas quasi libertas popularis seu reipublicæ regiminis quod esset habebatur, scilicet ea qua civitates possent manere *respublicæ*, nec in alia regiminis genera everti (præsertim, quum de his sermo, regna subaudiuntur). Hanc ad rem maxime vergebant Partes Guelfæ per totam sparsæ Italiam, sicut annis aliquibus post legetur a Leonardo Bruni *Proemio agli Statuti della parte Guelfa* (1420),

*Gloriosissimam Universitatem Guelforum, si ad divinium respicias, cum Romana Ecclesia, si ad humanum, cum libertate conjunctam reperies. Est igitur et fide catholica, quod veram sequens religionem ab Ecclesia non aberrat, et civili proposito laudabilis, quod libertatem amplectitur, sine qua nec res publica constare ulla potest nec sapientissimi viri existimarunt vivendum. Diversa autem et huic emula Gebellinorum factio, et Romanæ Ecclesiæ hostis est, et proposito servilis, quod libertatem negligens tyrannis semper ac barbaris sese ac Italiam curavit summittere.*¹⁴

Hujus rei causa a Baron ita declaratur,

*Since the emperors were Germans and stayed in Italy merely on brief expeditions, they usually left vicars behind — in most cases Ghibellines, of course — who, after the death of the emperor who had appointed them, remained in power and became tyrants. This is why free cities would no longer admit emperors into their walls, and why the Guelph adversaries of the German rulers had developed into «fondamento e rocca ferma e stabile della libertà d'Italia e contraria a tutte le tirannie» [Hic Matthæi Villani Cronica, VIII, 24 laudatur].*¹⁵

Demum aliquid quod fundamenta quatiens exorsum est anno 1375, videlicet bellum *Octo Sanctorum* nuncupatum, quo in bello Florentia licet Partis Guelfæ princeps non modo in bellum ipsa concitavit sed etiam multas alias Italiæ urbes ad arma civit. Causæ quid esset prorsus haud facile cerni potest, alii alia perhibent, at quandoque opinio prævalet Civitates Guelfas ausas bellum gerere esse ad ipsum Pontificem versus quod ejus vicarii in pæninsula

¹³ Historiam notionis scite enucleat RUBINSTEIN (1986) in symbola *cn Florentina Libertas*. Illinc tenendum præsertim saltem a bello *Octo Sanctorum* Etruriæ urbes *Libertà*, aut saltem *Popolo e Libertà* ut tubam habuisse, ipsud autem verbum vix univocum dici potest.

¹⁴ BRUNI, *Proæmium Parti Guelfæ Instituendæ* [796].

¹⁵ BARON (1966) P20.

(memoriâ retinendum hanc Avenionensium Papparum tempestatem fuisse, qui Italiam incolere aspernebantur) Florentiæ «*cogitarent extinguere libertatem*». Colucci Salutati verbis:

*Nec nobis obicias bellum quod contra quosdam officiales Sanctæ Matris Ecclesiæ, qui sic terras eis in Italia commissas pessumdabant, quod subditos miserabili servitute prementes et nostram et aliorum cogitarent extinguere libertatem, Florentinum Populum suscipere fuit necesse. Satis enim illa causa per Italiam et omnia Christianitatis regna ventilata fuit et, ut per effectum patuit, universus orbis commendavit, et vidit populi nostri justitiam, et illud non in exitium Sanctæ Matris Ecclesiæ, sed in nostræ libertatis defensionem iudicavit, non in aliud ordinatum.*¹⁶

Inreparabili nexu Libertatis et Romanæ Ecclesiæ fracto Florentia victa e prælio discessit. . Quod lectoribus acrius considerantibus jam prædicto loco apparet eo ipso facto, quod Coluccius præsentit se defendere debere remque publicam suam: id enim nihil aliud testatur quam jam neminem fidem cuidam Guelforum et Ecclesiæ fœderi tribuere seu velle, seu posse. Verumenimvero quærentes jam intellexerint duco, ex Bruni verbis «*si ad divinium respicias, cum Romana Ecclesia, si ad humanum, cum libertate conjunctam reperies.*» Quæ ad humana omnino spectare planissime liquet, mentionem Ecclesiæ vero obiter dumtaxat fieri.¹⁷

Hæc præfatus Baron sui argumenti cardinem tandem aggreditur. Totam etenim suam sententiam in bello quodam secundum ejus sententiam maximi ponderis fulsit. Illud prædictum bellum inter Mediolanensem urbem et relictam septentrionalem Italiam, inquit Baron, Italiæ civitates in duas divisit partes, scilicet has cuidam *Paci Italiæ* faventes — quæ Italia eo tempore vix reapse verbo exstabat, nedum re¹⁸ —, illasque non Pacem sed Libertatem satagentes. Quæ Pacem Italiæ gestiabant, intestinis tot fessæ bellis, principem in unum credebant se posse potestatem inferre qui Italiam procul a Gallis et Germanis regeret. (Hi Galli præsertim “Captivitatis Avinonensis” ergo maximas accipiebant in Dicine Pontificia; Germani sub imperatorum figura saltem a Carolo Magno imperatore atque romanorum rege creato auctoritate in Italia pollebant haudquaquam spernenda.) Contra, qui Libertatem Italiæ propugnatores sese præbebant jam inde a bello sic dicto *Octo Sanctorum* haud inusitatis utebantur argumentis: uti antea dictum est, pro “Libertate” bellabantur, scilicet adversus Tyrannidem.

¹⁶ Coluccius Salutati, *Invectiva in Antonium Luschum Vicentinum* (~1399) P28, in GARIN (1952).

¹⁷ Porro quoniam tempore Leonardi Ghibellina factio diu languabat, nec similtates civiles inter Guelfos et Ghibellinos sed inter gentes ejusdem “factionis” (Guelfæ videlicet) exoriebantur.

¹⁸ LARNER (1980) P1-15

Bellum tamen non optime cessit, adeo ut accideret ut, sociis omnibus jam in imperium ademptis seu vi captis, Florentia sola relicta in armis maneret. Quomodo urbs tantiuscula adversus tantum imperium superesse potuisset? Contigit ut fortuna favente morbo subito affectus Mediolanensium dux moreretur, et Florentina urbs, quæ in perditissimam labem pæne ceciderat, non modo vinceret sed etiam ansam rapere posset haud parvum lucrum ex tantis periculis faciendi. Negat Baron hoc incassum fuisse, atque inde ‘*thesin*’ suam præclaram profert, scilicet quod hoc bellum tantam vim in Florentinos miserrima quæque patientes intulit ut ii debuerint “se ipsos scrutare”, ideoque ex pugna pro Libertate contra tyrannidem invenisse suum civilem cultum radices non in guelfos et ghibellinos¹⁹ agere sed in veteres homines eorumque civitates quæ liberæ exstiterent non tantum quoad ad aliorum dominationes spectat, sed etiam quia cives se ipsos regebant, nulli parentes imperatori seu regi præter seipsos.

Baron autem, ut ea quæ protulit roboraret, Leonardum Bruni Aretinum unum harum rerum testem arcessivit. Quem possumus, ut dicit, quasi totius rei ducere axem, quum primus existeret jam nullo modo priscis ætatis mediæ notionibus imbutus, verum qui omnia præterita, quasi ‘mundum senescentem’, pro tempore vetere itemque futuro corruere iuberet. Apud Baron Leonardus præconis instar in se continere videtur multa quæ seu nunquam antea ab Antiquis temporibus inventa sunt, seu quæ decessores ejus vix corradere potuissent.

Ageretur imprimis de linguæ latinæ redivivæ nec modo in vitam revocandæ (quod ejus præcessores ut Petrarca et Coluccius Salutati persecuti erant, non tamen consecuti) usu et adhibendi facultate. Namque inter homines eo tempore exstitit Latinitatis cultorum facile princeps, ac inter multos quoque successores (teste Matthæo Palmieri²⁰), ideoque non mirabimur eum dignum habitum esse qui inter probandos una cum veteribus scriptores

¹⁹ Quæ illo tempore tenus adhuc nominabantur ea dumtaxat causa quod nihil melius excogitatum erat. (BARON (1966) P19, «... the still unbroken dominance of traditional Guelphism during this phase of Florentine history: no new political outlook had yet arisen to replace medieval thought. The only alternative to the Guelph ideas that had been explored — inactive neutrality — offered no defense against the dangers of the growing power conflicts, nor any fresh perspective on the contemporary Italian struggles within the framework of Florence’s history or future.»)

²⁰ «Delle lettere e liberali studi sare' meglio tacere che dire poco. Queste principalissime conduttrici, e vere maestre d'ognio altra buona arte per più d'ottocento anni sono in modo state dimenticate nel mondo, che mai s'è trovato chi n'abbi avuto cognizione vera, nè saputo usare un loro minimo ornamento, in tanto che tutto quello si trova in carte, o marmi per grammatica scritto fra questo tempo, meritamente si possa chiamare grossaggine rozza, oggi veggiamo per padre, ed ornamento delle lettere essere mandato nel mondo il nostro Leonardo Aretino come splendido lume della eleganza latina, per rendere a gli uomini la dolcezza della latina lingua.» Matthæi Palmieri opus *Della vita civile* P48

numeraretur. Quod cum hac re arcte conjunctum est, fuit inter primos nisi prorsus primus optimus Græci sermonis excultor, qui linguam illam quum Ecclesiæ Patrum tum gentilium rerum scriptorum philosophorumque adeo bene calluit ut sine mendacio scriberet ‘annos septingentesimos’ in Europa transiisse, donec linguæ notitiam iterum esse relatum.

Hactenus non tam longe distare videtur ab humanistis quos Kristeller ille “litterarum magistros” vocavit²¹. Quam opinionem omnino mutet necesse est, qui altius inspiciat propositum minime vile hujus Baronis. Totum ejus opus nihil aliud appetit nisi nexum effingere inter has litterarum doctrinas atque civilem scientiam. En igitur verba ipsius Brunii:

*Eruditionem autem intelligo non vulgarem istam et perturbatam, quali utuntur ii qui nunc theologiam profitentur, sed legitimam illam et ingenuam, quæ litterarum peritiam cum rerum scientia conjungit.*²²

Quæ quidem verba Baroni testantur Brunii litteras alia mente aggressum esse, quam ut litterarum magister tantummodo fieret. Quidam igitur nodus inter scientiam civilem et antiquorum doctrinam, Græcamque linguam sibi velit inquirendum est. At saltem hoc liquere fateamur: quod Baron ejusque sectatores Leonardum, licet inscium, ejusdem sententiæ fuisse credunt atque Hobbesium illum, quum ita queritur «*Lectio autem Librorum horum à Græcis & Latinis Scriptorum, factum est, ut homines nostri ab Infantia opinionibus illis innutriti, sub Libertatis falsa specie habitum tandem contraxerint tumultibus [...] ut verè possim (puto) affirmare nunquam quicquam tam carè emptum esse, quam Græcorum Latinorumque linguas emerunt partes hæ mundi Occidentales.*»²³.

Sane quidem non de eversionibus rerum efficiendis agitur (licet quodammodo fieri possit ut is conatus sit res novas patrare²⁴), exceptâ doctrinâ (sat platoniciâ²⁵) institutionis ut potestatis speciei²⁶. Agitur modo de illo ingenii genere quo homines diu ab aliquo sapientiæ genere semoti tandem ejus fructus consecuti non possunt quin rerum statu frustrentur et circumjacentia quoddammodo mutare aveant (qua in re Humanistæ, qui dicuntur, Aristoteli, nisi ardentius, saltem æque quam Platoni favisse). Hoc est verum Renatarum Artium donum,

²¹ KRISTELLER (1961)

²² BRUNII, *De Studiis et Litteris*. p250

²³ HOBBS (1670) P107

²⁴ Huic dissertationi non recta pertinet, tamen famosa exstat symbola quæ hæc *in actu* adumbrat: FIELD (1998) *Leonardo Bruni, Florentine Traitor? Bruni, the Medici, and an Aretine Conspiracy of 1437*.

²⁵ LOUREIRO (2012)

²⁶ Nullo genere hic fusius de hac re hic oportet loqui, nec si locus daretur loquacius quam subticens transeundum mihi foret credo; nihilo setius librum de hac re velim commendem, Stanley Rosen *Hermeneutics as Politics* (2003), cujus tertium capitulum in hoc themate maxime scite versatur, scilicet in Antiquitatis usu (nec præcipuarum doctrinarum) in re politica, quum super Leone Strauss atque Alexandro Kojève verba fiant.

simulque munus. Eugenius Garin videtur consentire (serius poterimus intellegere conspirationem hanc aliquatenus dumtaxat conspici posse) dicens:

*Leonardo Bruni legge i suoi Greci pensando a Firenze, e guarda a Firenze attraverso le pagine politiche di Platone e Aristotele.*²⁷

Cum hac opinione tamen equidem non omnino consentire queo, quoniam monstrare velle videtur eum esse ea persuasione adductum qua solent homines impræsentiarum, quum præteritorum temporum litibus et virtutibus ad libitum utuntur, quorum talem Leonardum non credo fuisse. Neque Baron ipse hoc credebat, sed tamen alia est difficultas, eum scilicet credidisse Leonardum quasi verum limen inter duas ætates exstitisse in eo quod ad Antiquitatis vim pertineret, in eo quod ad hominum sententias erga res publicas liberas pertineret, in eo quod ad rerum verum principium inveniendum, unde novi cujusdam ævi fundamenta jaceret, quod cunctam recentiore ætatem cuderet, juxta illud Ricardi Reis, «*que te os deuses dão, dão no começo.*»²⁸

Quid multis? Næ eadem a nobis appeterentur. Valde tamen cavendum est ne in caveam incidamus. Forte si Baron recte habuisset, nunc possemus nostra inde ab Artibus Renatis tempora sub signo “partis civilis capiendæ” nuncupare, indeque, quotiescumque aliquis de hac primitus statuta distringeret, eum invicem a nobis distringeremus quasi propugnatem adversus veram indolem temporum suorum, eumque idcirco taxaremus. Est causa qua hæc fiant, probeque exæstimo eos Ronaldum Witt sic obtestatos:

*Baron's interpretation of what he considered the titanic struggle between Republican Florence and Giangaleazzo Visconti from 1389 to 1402 as a battle between the forces of freedom and tyranny has too easily been assumed to be an expression of his own experience in Nazi Germany. For the same reason, the Crisis has sometimes been seen as an indictment of ivory-tower German intellectuals too detached from their society to protest the loss of Weimar liberty.*²⁹

James Hankins multo ultra progreditur in carpendo. Juxta ejus sententiam quandocumque Leonardus propter suum erga Libertatem amorem laudatur, non de vero Leonardo Bruni agitur, sed de «*Baron's Bruni, [...], a wooden puppet, an idealized projection of Baron himself, not a portrait of a man*», et pergit, «*The degree to which Baron identified personally*

²⁷ GARIN (2008) P42

²⁸ REIS (2007) carmen CLVII^o

²⁹ WITT (1996) P108. Witt his non consentit (uti e loco patet), non quod omnino sit falsum sed quod radices in sæculum præteritum hæc mens negligere videtur, necnon ipsius Baron juvenilia et magistros. Mei tamen non est ejus vitam scrutare sed quam habuerit in alios vim et cur — videlicet, cur operæ sit pretium tot annis post de eo adhuc colloqui.

*with Bruni will be evident to anyone who peruses Baron's papers on Bruni, with their frequent passionate outbursts against other scholars who criticized Bruni's behavior.»*³⁰ (Adeo ut ultimos ejus vitæ annos in Leonardi vita scribenda consumeret.³¹)

Nec multo magis ejus thesi corroborandæ prossunt opera ab aliis hominibus doctis³² conscripta — quorum primas fortasse obtinebit Quentin Skinner — qui maxime ennixi feliciter arguerunt nonnullos exstitisse viros qui licet non tam ornate aut absoluto sermone atque Leonardus, tamen de republica adversus regnum idem pæne sensissent, ita ut iidem viri docti nequaquam dubitaverint quominus eos haberent horum regiminum generum primos repertores, saltem inde ab Romani Imperii occasu, vel etiam primos, qui ea cum Christiana fide conjungere potuissent — et quoniam multi ex his clerici fuerunt, verbi gratia Giromalo de' Remigi, Ptolomæus Luccensis, etc (excepto sane Marsilio Patavino, cujus libri, qui *Defensor Pacis* inscripti sunt, non ita magnam vim in Italorum cogitata de re publica habuisse videntur³³), velint eos omnes usque ad Savonarolam illum quadam perpetua concatenatione contineri, unoque ictu totam rerum gestarum Italiæ historiam in unum densare.

At mihi quidem id non omnino probatur, quod faciunt multi, cum tempora omnia in unum congerunt omnemque limen inter varias ætates auferunt. Quod ad hanc rem attinet, equidem omnino sto cum Ronaldo illo Witt, qui tempus licet multum degerit in ætatum finibus perturbandis, et cujus testimonio impedimur quominus mediæ ætatis lumina negligamus, tamen asserit esse necesse firmis argumentis probare aliquid mutatum esse non jam gradatim, sed quoddammodo indolem novam aliquando inter has duas ætates informari cœptam esse. Quod ergo illa ætate mutatum esse dicemus? Id quidem Anthony Black:

*All in all, it appears that the chief difference between this and the 'civic humanism' ascribed to Bruni and others writing at Florence in the early fifteenth century, is that this is written in scholastic style using Aristotelian language rather than in the Ciceronian mode.*³⁴

Et quamvis consentire non possimus, fateamur necesse est multum veritatis inesse, dummodo parati simus rem supra laudatam omnino alio conspectu considerare. Sed jam tandem Baron illum relinquamus. Etenim is crediderat Artium Renascentiam altius radices agere, scilicet multis modis, qui facerent ut discrimina clara et perspicua inter eam et Mediam Ætatem inveniri possent. Quam spem et cogitatum relinquere debemus.

³⁰ HANKINS (1995) P320

³¹ Idem.

³² SKINNER (2002) et BLYTHE (2000).

³³ SKINNER (2002)

³⁴ BLACK (1992) P123

Atqui quod Black ille tanto fastidio asserit, nihil aliud esse videtur quam ipsa rhetorica ars. Nam quidnam refert quanam lingua sint homines usi ad quamvis rem dicendam? Fortasse nihil magis refert. Præsertim quum de re civili agatur, si homines aperte dignantur loqui, tunc notiones civiles, quas eloqui cavendum est³⁵ secluduntur ab eis, erga quas ipsarum redactores spem magnam certamque enutriunt.

Hæc rhetorica vetus ars proinde nunquam ante ab Augustino doctrinis antiquorum, institutionibus et auctoribus fulcitur, quomodo modo Augustinus antea id fecerat. Et si ejus primum cultorem quæremus, sine controversia ad Petrarcam nostros convertimus oculos quem dixerimus tamquam personam ex tragœdia sumptam, cum natus esse videatur, “simul ante retroque prospiciens”, ut de eo in commentariis illis a Jano nuncupatis scriptum legimus — seu, si intro spectat, Augustinum secutus, identidemque præ campis ex alto monte obtutum projicit³⁶—, quem autem legentes haud difficulter agnoscimus, etsi proxime accesserit, veterum Latinitatem eorumque scribendi rationes attingere nequisset. Vel propius Coluccius Salutati, ejus discipulus, qui adeo veteres imitandi studio ardebat ut suum ipsius sermonem conaretur a suorum temporum corruptelis, quas appellabat, purgare scriptis Ciceronis aliorumque usus, verbi gratia scribens *tuum pro vestrum*, quod sæpe eum pœnituit alios animi lædentem³⁷.

Argumenta gradatim cumulantur ut consentire cum his possimus quasi ponentibus duo initia — vel potius gradus, quos attingere necesse fuit ut pleno jure nos Mediam Ætatem relinquere statuere possimus. Hæc duorum principiorum thesis (seu melius duorum ejusdem principii graduum) præsertim ex Baronis *Cicero and the Roman Civic Spirit*³⁸ sumitur, ubi Baron in sæculi XIV Ciceronis interpretationibus nititur ut demonstret duos usus fuisse operibus Ciceronis.

*The old conception of the Renaissance as a fundamental break with medieval traditions, as a new edifice on changed foundations, was not entirely wrong. It was only erroneous in so far as that break was placed at too early a date. A complete revolution in intellectual life did indeed take place, but not until the end of the fourteenth century, not until the very moment when Petrarch's humanism was transplanted into civic surroundings — first and foremost into the civic world of Florence.*³⁹

³⁵ STRAUSS (1952)

³⁶ Petrarchæ *Familiares* IV.2

³⁷ WITT (1976)

³⁸ BARON (1938)

³⁹ Idem, P88.

Ex verbis quæ præmisi, credo liquere me non omnino illius esse mentis atque Baron, cum, ut in multis aliis locis, demonstrare vult Ætate media neglectos fuisse homines rebuspublicis popularibus faventes, quam opinionem jam antea, opinor, explosam ostendimus; at quandoque etiam profuturum credo saltem duobus his liminibus (Petrarca primo, dein ... aliquo alio) potius quam uno dumtaxat melius et accuratius circumsæptam habere Renatarum Artium Ætatem. Quorum prius si Franciscum accipimus, a quo Romanorum litteræ primum restitui cœptæ sunt, pæne annos quadraginta interjectos esse dicemus expectandum erit expectandum quoad *alterum gradum* perveniamus.

II. Fax

Se nenhum amor pode ser perdido

Tu renascerás — mas quando?

Pode ser que primeiro o tempo gaste

A frágil substância do meu sonho.

Sophia de Mello Breyner Andresen

Ego quidem parum ab omnium consensu discurram, cum Petrarcam in hoc itinere ponam primum ac potissimum, quamquam non sum ignarus hanc rationem non esse ita facilem et perviam. Præterea probe scio multos fore qui his, quæ sum dicturus, repugnaturi sint, attamen id, si licet, prædicere velim, me talia non tam propositurum quam temptaturum esse; accipiantur igitur tantum loco fundamentorum, supra quæ alia molire conabor: hæc igitur potissima causa esse videtur, cur Petrarcam quasi signiferum habeamus, scilicet quod ipse de se id numquam prædicavit nec se ullius rei eversorem præbere voluit. Etenim silentium hoc in utramque partem accipi potest. Nam eos homines arcessere, qui quasi intra limina cujusdam ætatis sunt bene contenti, non modo rationi consentaneum, sed pervium etiam ac facile ad res gestas scribendas est. Econtra eos tractandos suscipere, qui altero pede procedant, alterum vero retineant, ita ut quasi inter duas ætates hæere videantur, id non multorum conamen est, quandoquidem in tractandis rebus cunctis atque commixtis, hic opus, hic labor est. Neque infitior exstare multa quæ dubiam faciant hujus qua gradimur viam, tamen considerandum est artium renascentiam multas habere causas altisque radicibus enutritam esse. Atqui difficile est arguere eam ætatem tunc cœptam esse, quum Constantinopolis cecidisset, nec vero magno negotio talis refellitur opinio. Neque Petrarcam revocare possumus quin nobis ipsis impares efficiamur. Notum est Burckhardt illum homines hujus ætatis “recentioris Europæ primogenitos” vocavisse, sed tamen, si ad præterita

regredimur, vedibimur fortasse eam novam ætatem nimis retardare, neque quicquid ratum habebimus, utputa de recreatis disciplinis sæculi XII, et ante quoque de artibus a Carolo Magno resuscitatis.

Uti tandem destinatum feriamus, jam relinquamus inaudita temptantes et Baron aliosque sequamur, non jam presso vestigio et non jam pedibus nudis sed quasi per quandam 'hegelianam dialecticam' progredientes sinamusque in lucem venire rationem, quam inivimus, quum Leonardum, eodem pacto atque Baron (quocum jam totiens repugnavimus) ausi simus quasi hujus Ætatis principem facere.

Quum autem hujus dissertationis thema seligebam, id nondum persuasum habebam. Tribus tamen rationibus sum ductus ut eum susciperem, quarum duæ potissimæ fuerunt et pæne cardines, ut Leonardi opera mihi interpretanda tollerem. Etenim talem humanistam quærebam qui ad civilem vitam pronus simul atque Græcis litteris imbutus esset. Olim credidi me quasi fortuna duce Leonardum reperiisse, meque opusculi mei axem casu nactum esse. Nunc vero jam illud intellego nullatenus a Fortuna manavisse, sed ex ipsis dotibus, quas in humanistis requirebam: siquidem eas dum quam antiquissime quærato, non potui quin Leonardum tamquam illius generis primum expiscarer.

Nam Leonardus Bruni præsertim tota in Italia claruit propter maximam linguæ Græcæ notitiam, quam quidem quasi a nutricis lacte suxisse videbatur. Fuitne primus? Nam de Petrarca quoque accepimus parum Græcitatibus a Leontio Pilato Calabrense, item de Boccacio, qui si ad finem hujus linguæ institutionem adducere nequiverunt, id non necessario viribus, sed fortasse potius magistro deficiente factum esse scimus. Ad hoc præterea in Italia meridiana nonnulli magistri supereant, quasi reliquæ Imperii Græcorum, qui ibi diu dominati erant, adhuc commorabantur. Hi quidem homines interdum adibantur, Græci sermonis discendi causa. Attamen qualemcumque doctrinam illi duo sibi comparaverunt, vix tamen solidam doctrinam dicere ausim. Fuit igitur media, quæ dicitur, ætate maxima tum sermonis Græcorum, tum aliarum gentium ad orientem vergentium ignorantia, neque vicissim res melius se habebant⁴⁰. Perpauci igitur erant, tamen erant quidam, nam silentio non sunt obscurandi illi Aristotelis interpretes, qui sæculo XII floruerunt eidemque quantam vim in

⁴⁰ «A famous decree of the Council of Vienne (1312), apparently inspired by the Catalan polymath Ramón Llull, called for the founding of forty professorships in oriental languages at the four chief universities of Christendom and at the papal court; ten of these were to be in Greek. The chief purpose of these chairs was to have been the training of biblical scholars and Catholic missionaries to the East; the papacy had noticed the regrettable tendency of Oriental peoples to be ignorant of Latin. But little or nothing came of the initiative.» HANKINS (2005) *The Study of Greek in the Latin West*.

posteris habuerint, adeo constat, ut demonstratione non indigeat⁴¹ — Ii tamen sæpe non ex Europæis civitatibus oriundi erant, sed ex insulis aliisque locis, quos seu a Turcis seu a Græcis Venetiani et Genuenses ereptos occupaverant.

Inde igitur angustia quæ eos, qui linguæ Græcæ studio ardebant, arctissime opprimebant. . Adde huc quod in oris ad occidentem solem spectantibus jam diu Ecclesia Romana atque Græca inter se odio pæne capitali dissidebant, altera alteram schismatis hæresisque identidem accusantes. Quæ omnia non exigui sunt momento ad nostram rem. Nam Græcis memoria illius cruce signatæ expeditionis anno 1204 gestæ adhuc intimis insidebat animis; Itali vero erga Græcos insolenter superbiebant, cum crederent sibi ex Græcis nihil desiderandum esse, juxta illud Ciceronis

*meum semper iudicium fuit omnia nostros aut invenisse per se sapientius quam Græcos aut accepta ab illis fecisse meliora, quæ quidem digna statuissent, in quibus elaborarent.*⁴²

Ita igitur ad Græcos sese vertere diu renuerunt. Quæ cum dicimus, non ea mente agimus, ut in Italos invehere velimus. Immo quoddammodo sane intellegere valemus eos rimantes nequissime rescire quam ratione deberent Græciam appetere. Adeo ut valde consentiam cum Hankins illi hæc, quæ huc subscribo, dicenti, quamquam ceteroqui accipere non possum eam mentem, qua ea dicit:

*Like Cicero, [Petrarch] regarded the ancient Greeks as vain and boastful, marked by levitas græcanica, and insufficiently respectful of Latin cultural achievements. For himself, he was convinced that Virgil was superior to Homer and Cicero to Demosthenes. Petrarch also shared the distaste of some of his contemporaries for what he was as Byzantine arrogance and infidelity to Christian orthodoxy. He had no desire to visit Greece and advised his secretary Giovanni Malpighini against going there to learn Greek, recommending instead that he visit Calabria. Reacting against the Romantic View of Petrarch, sighing over the Greek manuscripts of Homer and Plato he could not read, [Roberto] Weiss argued plausibly that Petrarch had plenty of opportunities to learn Greek and could have learned the language had he really wanted to.*⁴³

Ac primitus quidem in eo Hankins verba minus accipienda nobis videntur, quod hominis non sunt æque illustrantis, sed vehementer carpentis. Nec tamen Petrarcam velim longe ab omni reprehensione intactum retinere — nemo enim nostrum tutus ab errore

⁴¹ BRAMS (2003)

⁴² Ciceronis *Tusculanæ Disputationes* [1.1.10-1.2.1]

⁴³ HANKINS (2007) P331.

exstitit umquam, ne illos quidem excellentiores homines quos nobis exempla proponimus —, sed causæ potius, quas Hankins ille affert, non ita magnæ mihi esse videtur, ut fama Petrarçæ tantopere inquinetur. Omnia sunt vera in utramque partem (immo Leonardum videmus eodem modo cogitantem de Ciceronis et Demosthenis certamine quum *Ciceronem Novum* scribere constituat⁴⁴). Vereor præterea ut Ecclesia Græca illius temporis possit tuta ab superbiam accusatione ex his ratiocinationibus evadere. Quis scit an jure meritoque?, tamen Imperium Græcum quatenus cum aliis degere voluit, omnibus circumstantibus licet labentibus casuris, semper illam imperii speciem prodere voluit⁴⁵ qua se aliis præcellens ostenderet⁴⁶ (nulloque alio loco hoc magis patet quam apud Concilium illud 1439 Florentiæ conscriptum⁴⁷). Næ idem Romanæ Ecclesiæ imputare licet debetque, non autem hic sermo: satis superque jam compertum habemus haudquaquam facile fore cuiquam græcam linguam discenti adversatoribus utrobique exorsis.

Atqui arcessamus nunc Emanuelem illum Chrysoloram, quod sane longe gratius est linguæ Græciæ argumento. Is enim post tot annorum intercapedinem linguæ græcæ notitiam in Italiam, deinde in relictas relictas occidentalis Europæ partes, primus induxit. Attamen ante ejus adventum non omnes hujus sermonis elingues exstiterunt, quod totum contra esse antea disputavimus, cujus testimonio possimus Coluccium Salutati afferre. Qui quidem, quum quandam Platonis Phædonis interpretationem, quam nescio quis antea confecerat, in urbaniolem Latinitatem vertendam sibi suscepit, quasi binis perfectam manibus⁴⁸. Sed jam ad Chrysoloram redeamus, quem quum Imperator Constantinopolitanus ærumnis obsessus legatum in Italiam misisset socios adversus Turcas inveniendi causa⁴⁹, idem, quippe liberaliter

⁴⁴ «Cetera sic [Plutarchus] narrat, ut magis ad comparisonem suam, in qua Demosthenem præferre nititur, quam ad sincerum narrandi iudicium accomodari videantur.» *Cicero Novus* [416-418].

⁴⁵ RUNCIMAN (1970)

⁴⁶ Aliquatenus potest laxari dici quum opera Divi Thomæ Aquinatis, videlicet *Summa Contra Gentiles* in Græcum versa, ostendant etiam Latinos posse de re theologia aliquid momenti afferre.

⁴⁷ GILL (1959)

⁴⁸ Proinde ac apud nostram civitatem sæpe audimus ab interpretibus quibusdam quales Nina et Philippus Guerra interpretationes oportere omnes a hominibus confici duobus, quorum prior linguam in quam calleret, alter ex qua (sin autem aliquis qui a lacte nutricis utramque suxerit), obtestanturque rectam interpretationem in eo consistere ut hi consentiant duo, nec eo adduci possunt ut unus eam consequi valeret. Quod Coluccius querebatur hi invicem laudibus exornant.

⁴⁹ «The passionate conviction of the Greek émigrés on these points came first from a belief, stated explicitly by Chrysoloras, that the Latin West might be induced to come to Byzantium's aid if its ruling classes were taught the value of Greek culture. Later, after Constantinople fell and the hope of a crusade to recover it gradually faded, émigrés like Bessarion saw the Latin West, especially Italy, as a rich soil in which the wisdom, beauty and piety of Hellas might be successfully transplanted. But it was men like Leonard Bruni, above all, and his fellow students in the school of Chrysoloras, who prepared

esset institutus imbutusque quum christianis, tum gentilium litteris, anno 1398 ab ipso Coluccio arcessitus est ut Florentinos græcam linguam publica professione doceret. Is quidem jam dudum magister fuerat, primo Constantinopoli, ubi primum suum *Ερωτημάτων* librum conscripserat⁵⁰, quo in libro causa constare videtur, qua ei contigerit linguam docere, atque gregem discipulorum colligere, qui Græcitatem longe lateque propagarent posterisque traderent. Ceterum hoc uno facile aliis præcellit, quod quomodo boni piscatores faciunt, quum non pisces, artem vero piscandi suis præcipiunt, ita etiam Chrysoloras non merâ linguæ notitiâ, verum etiam didascalicâ peritiâ discipulos imbutos voluit. Eo enim in libro linguæ græcæ grammaticam artem multo simpliciorem reddidit, quæ pervia esset Latinisque descendibus expeditior. Qua in re illud potissimum exempli gratia videre est, quod ex 58 substantivorum nominum paradigmatis, quibus tunc vocabulorum copia a Grammaticis Græcis digerebatur, in sex dumtaxat omnia conglutinavit, ea non jam per nominativum sed per genitivum causam componens (quippe ut etiam nos facere consuevimus). Ut exemplo explicemus, omnia masculina verba non per -ος, -ας, -ης, -υς, et ita porro, sed pro genitivo quo declinarentur, multo pressius composuit. Quod quidem veteribus haud ignotum fuisse, Græci tunc temporis satis compertum habebant, attamen ignoraverant quonam modo tamen eam facultatem sibi compararent, donec Chrysoloras ad Italos docendos ipse per se hanc rationem excogitavit⁵¹.

Quid multis? Docuit quidem, idque magnifice. Nostra potissimum interest quod Leonardum Bruni Aretinum docuit, eumque græcarum litterarum præ omnibus præstantem effecit. De quorum virorum præclarorum consuetudine Poggius Bracciolini in funere Leonardi «*In studio*», inquit,

*Juri Civili quum plurimum profecisset, supervenit Manuel Chrysoloras ex Constantinopoli, Græcorum omnium sapientia et eloquentia tum facile princeps, qui studia græcarum litterarum quæ jam diu in Italia oblita et sepulta erant, apud nos primus excitavit. Et quum plures ad ejus doctrinam confluerent, haberenturque cætus præstantiores, Leonardus illorum gloria commotus, quum in eo studio magnam laudem propositam videret, posthabita Juris Civilis cura, adhæsit Manuelli; brevique effecit, ut omnes coauditores tum bonitate ingenii, tum studio diligenti facile superaret.*⁵²

the ground in which the mighty tree of Hellas could take root and flourish anew.» HANKINS (2005) *Humanism and Platonism, Manuel Chrysoloras and the Greek Studies of Leonardo Bruni*.

⁵⁰ WILSON (1992)

⁵¹ GRAFTON & JARDINE (1986) P99-121 (Caput *The New Subject: Developing Greek Studies*)

⁵² BRACCIOLINI, *In funere Aretini* b3-b4.

Ideo igitur, quod Poggii omni mendacio vacua sint, plane ostenditur quomodo Battista Guarino sese gereret, quum opera in honorem Chrysoloræ edenda curaret, *Chrysolorinas* nomine, et ab omnibus præclaris præclari illius magistri discipulis peteret symbolas: nam Leonardum præteriens⁵³ manifeste illis simultatis testimonium exhibuit, quod inter optimos tales quales Leonardus et Battista, non rare exstitisse accepimus.

III. Flamma

Prince, n'enquerez de sepmaine

Où elles sont, ne de cest an.

François Villon

Hæc sunt Leonardi exordia, linguæ græcæ peritia summa. Hunc igitur virum tali accinctum doctrinâ grandiaque aggressum abhinc in conspectum afferemus, quod ut melius faceremus, necessarium duximus ita præfari, quippe firmiter judicantes nostri esse negotii nexum inter linguæ Græciæ notitiam atque ejus opera futura adamussim demonstrare, præsertim quum hanc dissertationem in Litteris Classicis scribamus. Quamobrem in mente habemus illud opus diligentius rimari, quod potissimum nobis videtur ad has disciplinas pertinere, videlicet *Dialogos ad Petrum Histrum*, quo in opere nostræ disciplinæ quæstiones summi ponderis excutiuntur: quomodo, tot jam sæculis transactis, Litteræ Classicæ adhuc prodesse possunt?, Sumusne nos frugi heredes vel digni, an potius viribus omnino deficimus, si cum maioribus nosmet ipsos comparemus? Quæ quidem tunc sunt exortæ, quum nullus esset vir doctus quin veterum litteris imbueretur. Nobis autem, qui tanto studio conamur finem statuere et rationem reddere, qua alios ad has provincias arcessamus atque illiciamus, proderit sane plurimum hæc omnia penitus explorare.

Ast jam eo redeamus, unde digressi sumus: Leonardus igitur hac familiaritate cum Chrysolora et Coluccio privatus (hic enim anno 1406 morbo correptus vita defunctus, ille vero ad alias Italiæ partes legationis causa profectus) duos suos quasi patronos uno temporis ictu amisit. Coluccius non modo eum ad studium litterarum adduxerat, sed etiam ad curam Romaman, quum ei munus apud Pontificem comparavisset (sicut legimus in epistulis ex utraque parte missis⁵⁴); Chrysoloras autem ei primum desiderium græcorum opera

⁵³ Baptistæ Guarini filii in litteris patri suo in *La didattica del Greco e del Latino* (2002).

⁵⁴ I.3 Leonardus Coluccio, exempli gratia, ubi «Etsi» inquit «sciam quæ tu nuper de me ad Pontificem Maximum scripsisti, ea omnia vera non esse, tamen, fatebor enim ingenue, cupiditatem animi mei gratissima mihi illa quidem et acceptissima fuere. Tanti enim facio iudicium tuum, ut vel unius epistolæ testimonio universos obtractarorum impetus, quibus nescio quo meo fato, ubique sim

interpretandi flagitarat: Interpretis enim officium primum apud ejus scholas auspicatus est, quum magister locos discipulis interpretandos proponere soleret. Ac primum equidem opus, quod e lingua græca in sermonem latinum transtulit, fuit Divi Basilii Πρὸς τοὺς νέους, ὅπως ἂν ἐξ ἑλληνικῶν ωφελοῖντο λόγων, idque est jussu Colucci aggressus, qui eo tamquam fulcimine uti cupiebat ut rationem de studio litterarum antiquarum reddere posset, ut apud Græcos accidebat, præstoque arma haberet quibus sese adversus clericorum impetus se defenderet. Quin immo ipse Leonardus sæpe hoc suo juvenili opere utetur in contentionibus, quas adversus Ambrosium Traversari suscepit. Verum enimvero multi sunt, qui hoc opere ad eundem finem usi sint. Ideo non miramur, quod, ex libris sæculo XIV editis, id multo crebrius omnibus ceteris describeretur; vero vel magis stupemus, secus non fuisse postquam typographia inventa est. Sane multa fuerunt opera nostri Leonardi, quæ longe lateque in Europa vulgata sunt, utputa *Laudatio Florentinæ Urbis*, *Historia Florentini Populi*, epistula *de Studiis et Litteris*, etc — nec tamen omnia ab ipso conscripta sunt, sicut *Ethica Nicomachea* aliaque nonnulla, quæ licet ab ipso scripta, tamen aliis interdum adscripta sunt, veluti *Cicero Novus* et *Commentaria de primo bello punico*, quæ modo Plutarchi, modo Livii opera dicta sunt.⁵⁵

Quo magis enim, quantum assequor conjectura, in his duobus hominibus Leonardi vitæ factis cardinibus conatus meos eniti potero, eo magis illa quæ mihi proposui opera florescent atque menti nostræ patebunt.

carere non possum, facile me fracturum esse confidam.» Verum etiam Coluccius Innocentio VII, «Lætor equidem et exulto, quod tibi talis servitor accesserit, quali tua sanctitas indigebat; non, quod bonos et industrios non haberes, sed, quoniam quotquot tibi boni contigerint vel dominis aliis, in quorum manibus orbis terrarum est, semper pluribus egeretis. Lætor igitur et exulto contigisse talem tuæ beatitudini servitorem, ætate juvenem, corpore validum, aspectu gratum, scientia clarum, eloquentia singularem, latinis excellentem litteris, peritum non mediocriter græcis, – quodque super omnia preciosum est – integra fide et singulari bonitate prestantem. De quibus quidem omnibus, licet pleraque videas et omnia forte perceperis, ego tibi verax et fidelissimus testis sum.»

⁵⁵ Fabula narratur sat salsa apud MOMIGLIANO (2012) «Bruni's success in Livianizing Polybius may be indicated by a story we owe to Gianni Gervasoni (he published it in 1925). According to this story in 1783 Lorenzo Mascheroni, 'insigne matematico, leggiadro poeta e ottimo cittadino' (as Vincenzo Monti later defined him), thought he had discovered in an old MS. Livy's account of the first Punic War. After having transcribed the greater part of the MS. he revealed its contents to his fellow-citizen of Bergamo, the learned Canonico Conte Camillo Agliardi. Agliardi immediately recognized the nature of the text: Leonardo Bruni's *De Primo Bello Punico*, of course.» P84.

Dialogi ad Petrum Histrum

*We need no longer be concerned with [the] scorn for the “educated philistines”, who all through the nineteenth century tried to make up the loss of authentic authority with a spurious glorification of culture. To most people today this culture looks like a field of ruins which, far from being able to claim any authority, can hardly command their interest. This fact may be deplorable, but implicit in it is the great chance to look upon the past with eyes undistracted by any tradition, with a directness which has disappeared from Occidental reading and hearing ever since Roman civilization submitted to the authority of Greek thought.*⁵⁶

*The discovery of antiquity in the Renaissance was a first attempt to break the fetters of tradition, and by going to the sources themselves to establish a past over which tradition would have no hold.*⁵⁷

Subest tandem tempus ut *Dialogos ad Petrum Histrum* tractemus, quod quidem opus quasi a nescioquo diabolo mihi damnatum esse videtur, qui vero diabolus vestigatorum oculos clausos retineret, ita ut quasi cæcutientes aggressi nunquam in ejus medullam descendant. Semper enim hi *Dialogi* ob studium rerum politicarum investigantur, perinde ac si id quod ipsæ drammatibus ipsæ personæ vellent seu dicerent nihil moderati esset faciendum⁵⁸. At mihi equidem id maxime mirum videtur, quod ii, qui Platonis dicendi generi consueverunt aliorumve subtiliorum opera investigarunt, hoc opus alia interpretatione rimari non audeant, videlicet quasi de fabula quadam agatur, scilicet *litteræ* sint, nec de quodam gravissimo tractatu de re publica gerenda, sive fossili effoso, in quo scripturæ terminos investigent, nulla modestia, nulla verecundia, nullo denique respectu ipsius auctoris habito, idest ut textum legant ipsius textus rationi confisi. Quamquam id fortasse non semper temere ita sategerunt. Vero enimvero melius est operam dare operibus nostri Leonardi, ut res minoris pretii intellegantur, quam, omissis omnibus de recte legendi modo sollicitudinibus, ipsius scriptoris curas aspernere, et ipsum tractare quasi vacuum puppam, cujus sententiæ nihil valerent, et quo, quasi puppa inani abuti possimus ut nostra cogitata evacuemus. Etenim media via

⁵⁶ ARENDT (1961) P28

⁵⁷ Idem. P25

⁵⁸ Postquam hoc capitulum jam diu scripseram, Jill Krayer, cui plures agi gratiæ non possunt, mihi præbuit legendam David Quint symbolam *A Reconsideration of Bruni's Dialogues* (1986), quæ ad partes anteriores parum hacpropter prodesse potuisset, ad posteriores vero multum contulit.

invenienda est, unde quæstio nascitur, quomodo ab eo discere possumus, servato ipsius scriptoris respectu? Vero enimvero fuerunt permulti qui iudicarent, esse curam magnam servandam, neque unquam nos posse coram scriptores loqui, nisi dimissa voce. Alii autem non desunt, qui autument, «*daß die Schatten erst reden, wenn sie Blut getrunken haben*» (Wilamowitz). Equidem conabor potissimum cum his ultimis stare, neque vero polliceri possum, fore ut semper stem promissis.

Quid igitur mihi consilium? Ut presso pede secutus scripta, tum ea quæ dicuntur, tum vero quanam mente dicantur, quam clarissime intelligere nitar. *Im Ernst nehmen*, neque scriptori minus prudentiæ tribuere, quam ipsi velimus accipere. Nobis igitur illud Leonis Strauss nostrum faciemus, qui quidem, sicut jam laudavimus, autumavit esse necesse, priusquam iudicium feramus, ut «*veteres intellegamus ut ipsi seipsos intellexerint.*» Mea quidem sententia hoc fere numquam prius, quum de Leonardo Bruni agitur factum est, nisi apud paucissimos. Qui vero pauci seu suas opiniones (sive præjudicatæ sive minus) roborare cupivere, seu aliorum delere conati, potius in eis delendis quam in textu recensendo posuerunt vires⁵⁹. Ideoque quodam interpretationis genere solito 'straussiano' nuncupato utendum duco? Bona verba, nam id mehercle nihil aliud significat quam attente et accurate legere, nec aliquid in opere indignum iudicare quod funditus inexploratum maneat. Susplicari, signaque effodere, mihi est propositum. Quod favente Mercurio consequar.

Inspicientibus nobis opus in duas saltem apparet conspicuas dividi partes, unde plurali numero *Dialogi* dici possunt⁶⁰. Prior enim pars agitur Colucci Salutati domi, altera vero Roberti Russi. Maxime inter sese hæc duæ differunt, ex quo magna præterito tempore est controversia orta, asserente Baron duobus quasi cursibus scriptum esse, ita ut nulla opinionum constantia his *Dialogis* subjecta esse videatur.⁶¹ Non meum est hæc refellere, quod jam plurimi effecerunt viri docti, imprimis Seigel. Itaque me illius opinionis præbebo, qui credam *Dialogos* ab ovo integros esse inventos — tametsi non uno ictu, omnes enim textus in tempus producuntur, se ipsos rescribunt atque respondent, et scriptores non modo tempore et vita agenda sapientiores (vel potius aliter cogitantes) fiunt, sed etiam ipso scribendo. Quam quidem opinionem brevi exponere exsequar. Quomodo tam presso vestigio secutus Leonardus sit Ciceronis opus *De Oratore*, quo in opere (in tres, nec duas, partes diviso) quis dubitarit Ciceronem semper in animo habuisse Antonium in scænam redagere ut optimi oratoris

⁵⁹ Seigel doctissime verbi gratia Baron confutat, sed quid sui profert?

⁶⁰ Etsi sunt qui *Dialogum* malint legere, ea adducta causa ne suspicentur quidem se opus voluisse secare. O'ROURKE (2006?), exempli gratia.

⁶¹ BARON (1955)

notionem a Crasso propositam maxima cum vi nedum haudquaquam amice refelleret, postmodumque mira quadam circumlocutione usus illa ab se repulsa extolleret? Hoc est totius Ciceronis dialogi nux atque medulla. Leonardum scimus totum opus in promptu non tenuisse, quod modo anno 1421 a Poggio Bracciolini inveneretur (quousque quasi dilaniatum exstiterat), tamen inter eas quas obtinebat partes eæ numerabantur quibus Antonii palinodia continebatur (modo tertii libri 18-109 deficientibus paragraphis⁶²).

Alia testimonium perhibent. Horum dialogorum duæ partes ita concinne conjunctæ sunt, ut mihi non adducar ut credam aliquem posse ea insania esse qui eas alteram ab altera disjungere velit. Hoc confiteor: sæpenumero hoc dicitur, continuoque satis habetur. Quada constantiam partium afferre multum adhuc deest, ut vera constantia demonstretur. Eam tamen constantiam atque partium conspirationem firmis argumentis, quod præteritum meum consilium, impræsentiis roborare cohibeor, exiguitas enim spatii tantam rem aggredi vetat; itaque nunc in aliam differam occasionem. Etenim, quamquam modo sim Partem Priorem tractaturus, scindentem pono prout *Margaritæ Magistrique* betam lectorem qui diceret duas esse fabulas, alteram de Margarita Magistroque, alteram de Yeshua; licet non recta congruant, tamen hac non est rerum melior convenientia.

1. Præfatio.

ἴδμεν ψεύδεα πολλὰ λέγειν ἐτύμοισιν ὁμοῖα

Hesiodus

Quamquam non abs re fortasse erat titulum, quo libri *Dialogi ad Petrum Histrum* nunc temporis sint editi, examinare (factum enim est ut alias aliis nominibus hoc, quod aggredi paramus, opus nominatum sit), timeo tamen ne tantum laborem hoc loco suscipientes vix operæ pretium facturi simus. Præterea Seigel ille plurimos titulos hujus generis, quibus annis delapsis *Dialogi* impressi sunt, haud incopiose collegit — plerosque utique argumenta exhibentes, utpote '*Dialogus ortantis* [sic] *viros studiosos ad exercitium disputandi*', '*Dialogi de utilitate disputandi*' aliaque similia⁶³, quæ omnia exempla nobis non satis faciunt, quandoquidem nullum universam materiam complectitur, sed partem quandam continens, ceteras omnes exceptas relinquit atque sic opus ipsum egenius, quam est reapse, volentibus legere proponunt.

⁶² SABBADINI (1905) P110

⁶³ De nominis controversia SEIGEL (1966) P46 & BARON (1967) P26.

Titulus autem, quo jam pridem dialogus proditus est, is veri similiter ex epistula commendatoria ad Petrum Histrum (ad Pietro [Paolo] Vergerio) manavit. Ceterum Petrum Histrum non modo hujus operis dedicatione mactavit, verum etiam totum opus ab ejus nomine initium capit.

Vetus est cujusdam sapientis sententia felici homini hoc vel in primis adesse oportere, ut patria sibi clara ac nobilis esset.

Nullum autem credo dubitaturum quin res ita in medium prolatas suspicari debeamus. Id tamen præ oculis habendum est, Leonardum jam recta in operis principio gloriam patriæ attingere voluisse, neque ullo modo exspectandum foret donec partem alteram legeremus, ubi fusius hæc tractantur. Non agitur modo de arte in scribendo adhibita, quasi omnia quæ tractari debuerint jam inde ab operis principio nominentur: immo; hoc enim initium in opere potissimum est, quicquid inde legemus non potest quin accipiatur sub specie patriarum laudum aut objurgationum.

Abhinc non cursu, ut aiunt, sed incessu erit utendum. Nam ipsa præfationis verba legentibus venit illico in mentem *Laudatio Florentinæ Urbis*, quum propter ipsa vocabula quibus duo hæc opera nectuntur, tum propter mentem ac sententias, quæ utrique subjectæ sunt. Siquidem in *Dialogis*

Nam quum frequentia populi, splendore ædificiorum, magnitudine rerum gerendarum civitas hæc florentissima est, tum etiam optimarum artium totiusque humanitatis, quæ jam penitus extincta videbantur, hic semina quædam remanserunt, qua quidem in diem crescunt, brevi tempore, ut credimus, lumen non parvum elatura. [78]

in *Laudatione* contra

Simul atque [advenæ] urbem conspicati sunt, quum occurrat oculis tanta moles rerum, tanta ædificiorum collatio, tanta magnificentia, tantus splendor, [...] quum delitias, nitorem, ornatum intuentur, illico omnium mentes animique ita mutantur ut non jam de maximis atque amplissimis rebus ab hac urge gestis obstupescant, non! sed potius sufficientem autument ad totius orbis dominium imperiumque adipiscendum.⁶⁴

Idemque,

Habet enim hæc civitas homines qui in hoc populari atque communi genere dicendi ceteros omnes infantes ostenderint. Litteræ autem ipsæ, non mercenariæ illæ quidem neque sordidæ,

⁶⁴ *Laudatio*. [18]

*sed quæ maxime sunt liberis hominibus dignæ, quæ in omni principe populo semper floruerunt, in hac una urbe plurimum vigent.*⁶⁵

Quid igitur? Facile erit ponderare. Prohibeamur autem, obsecro, quominus nimis celeriter aliquid firmum de hac concordia conjiciamus. Namque multum distant hi facie persimiles loci, interstitiaque intueri multum nobis *Dialogos* scrutantibus proderit quoddam acumen rerum nancisci volentibus. Leonardus igitur sese hoc loco non tantarum gloriarum participem offert.

Urbem, cujus particeps, quippe ortu Aretinus, anceps dumtaxat haberi potest, videtur Leonardus laudare, facinus maxime rarum. Sane quidem: dicit se dolere quod hujus rei expertus sit. (Faceretne ut res aliter se haberent?) Testantur nonnullæ ejus epistolæ eum quodam peculiari modo cum Florentina urbe conjunctum esse, multis de causis hoc esse rerum status, præcipue in eo, quod ad civitatis jus attinet. Præterea anno 1416 est Florentina civitate donatus faventibus reipublicæ gubernatoribus (inter quos Cosma Medicis eminet), quorumque opera item vectigalibus liberatus reliquam vitæ partem Florentiæ degit, volens libros *Historiæ Florentini Populi* exarare. Est igitur honestatus hoc officio, ut has *Historias* ad finem adduceret (quarum eo anno primum volumen dederat eddendum), quod adimplevit novissimo perfecto volumine paulo ante ejus mortem, scilicet anno 1442.

Verum enimvero tale opus tunc animo concepit, quum Florentiam Româ profectus est, unde tum sub finem *Laudationis*, tum etiam in plurimis epistulis eum gloriantem offendimus, quod quandam *Laudatione* maiorem *Historiam* scripturus esset, qua quidem, quo magis civitati prodesset, non laudes modo continerentur, sed etiam ea scitu digna in rerum publicarum gubernatione proficiscentibus. Hoc proposito Baron quendam ex Polybii *Historiis* locum adducit:

*ὥσπερ γὰρ ἐκεῖνος ὁ τόπος, ὑπάρχων ἐγκωμιαστικός, ἀπῆτει τὸν κεφαλαιώδη καὶ μετ' αὐξήσεως τῶν πράξεων ἀπολογισμόν, οὕτως ὁ τῆς ἱστορίας, κοινὸς ὢν ἐπαίνου καὶ ψόγου, ζητεῖ τὸν ἀληθῆ καὶ τὸν μετ' ἀποδείξεως καὶ τῶν ἐκάστοις παρεπομένων συλλογισμῶν.*⁶⁶

Quantum autem conjectura suspicari licet, est nobis cunctanter credendum hunc prorsus locum Leonardo notum fuisse. Arnaldo Momigliano rem rimatus reddit rationem suspicionis, voluminibus solito transcriptis *Historiarum* libri decimi non contineri illum locum, sed tantum apud alia, *Excerpta Antiqua* nomine. Hinc utique elicit Leonardum eum in promptu habuisse. Doctissimus ille vir nobis suadet⁶⁷ ut credamus Leonardum a Chrysolora hanc

⁶⁵ Idem. [90]

⁶⁶ Polybii *Historiæ* X.21.8

⁶⁷ MOMIGLIANO (2012)

doctrinam seu notiones accepisse, quod quidem nobis probatur, quum ipsius argumenti elegantiae causa, tum etiam quia Chrysoloram discipulis suis Italis sæpenumero opitulatum esse novimus⁶⁸.

Sed tamen si quis opus ipsum legere adoriatur, ei sententia quædam occurret, quæ quandam orationis partem pondus potius levare videtur. Quæstio enim tota versatur in illis ‘quum ... tum’. Quid? Animum intedamus. Nam disputatur, utrum laudes “ei civitati” invenire desideraremus apud *tuum*, aut apud *quum*. Quandoquidem in encomiastico opere desiderabamus apud *tum*, quo partes orationes ita copulat, ut æquo pondere esse videantur, hic contra, et conducet locum laudare, non ita legimus.

Nam quum frequentia populi, splendore ædificiorum, magnitudine rerum gerendarum civitas hæc florentissima est, tum etiam optimarum artium totiusque humanitatis, quæ jam penitus extincta videbantur, hic semina quædam remanserunt, qua quidem in diem crescunt, brevi tempore, ut credimus, lumen non parvum elatura. [78]

Quod quum illud ‘*magnitudo rerum gerendarum*’ in priore parte orationis sit, atque illo ‘*quum*’ introducatur, non possumus quin aliquid *ειρωνείας* ibi inesse suspicemur. Quid vero de *tum*? Ambigitur sane, ut e dictis consequens jam erat. Nam verbis turbidis est opus ut utrique faveat parti: semina quæ remanserunt sunt pauca, *at sunt*, crescent brevi tempore — at reapsene crescent? Si quis debet dicere ‘*ut credimus*’ est quia rem ponit magis quam vellet ancipitem. Hic Leonardus dolo quodam subtilissimo, artis grammaticæ notitiam suam ingentem applicat non modo ut suam doctrinam litterarum ostendat, quod nihil nisi supervacaneum esset, sed ut suos fulciat fines. Hanc eum viam secutum intuebimur per totum dialogum, dum per calces semper artificiosiores progredietur.

Postea vero amicum laudat, commendat, ac prima occasio ei occurrit ut de acto colloquio verba proferat. Attente velim tamen dicere legere nihil significat nisi satis homines in pretium habere ut singula eorum verba perscrutemur: hæc est philologia *vero sensu*, ita *verba amare* ut credamus eos quos excutimus item fecisse potuisse; sicut Harvey Mansfield

⁶⁸ Leonardum enim inter alia commonefaciendum est Chrysoloræ jussu seu consilio in Latinum convertisse Divi Basilii Πρὸς τοὺς νέους, ὅπως ἂν ἐξ ἑλληνικῶν ωφελοῖντο λόγων, ut in occidentalibus Europæ partibus eodem posset munere fungi atque jam Byzanti functum erat, videlicet quamquam exhortari non poterat ut veteres gentiles lectitarentur, tamen erga eorum libros contemptum valuit excutere: quemadmodum hic liber erat a christianis græcis usurpatus inde a prima editione (1400). Ab illo puncto Coluccius Salutati adversatoribus suis hoc testimonium ac fulcimen præbere poterat ut Litteras Antiquorum ab impietatis accusationibus defenderet, quod plus semel fecit. Leonardo igitur milite duceque Chrysolora sunt ab hominum sicut Ambrosii Traversarii impetibus tales libri servati, ideoque non abs re erit eos ab abortu maturo *artes* servavisse jamjam *renascentes*.

dixit, «Bruni is not lacking in subtlety.»⁶⁹ Ergo quum antea hoc dicit, «itaque nulla fere dies præterit, quin tua sæpius in mentem nostram recordatio subeat; sed quum semper nobis tua præsentia desideretur, tunc tamen maxime, quum aliquid illarum rerum agimus quibus tu, dum aderas, delectari solebas: ut nuper, quum est apud Colucium disputatum, non possem dicere quantopere tu adesses desideravimus», quid interest investigemus sit annon pluralis majestatis modo ut vacue ad paginæ finem hujus rei annotatiunculam faciamus? Hic tamen est ponderis. Nescimus enim utrum Leonardus seipsum dumtaxat nominet, aut cunctum suum florentinum cœtum. Primo quidem obtutu dicit quispiam se autumare haud cunctaturum esse majestatis, propterea quod in anteriore præfationis parte semper hanc figuram usurpabat neque aliter esse poterat. Quid autem hic? «Quum aliquid illarum rerum agimus quibus tu [...] delectari solebas, ut nuper, quum est [disputatum]». Eo obviam quum dico neminem solum disputatorem, sed si plures essent, quisnam? Si quid in hoc filo est, evidens est de Nicolao agi, quocum Leonardus per priorem suæ vitæ partem (qua continetur tempus quo sunt dialogi scripti) arctissime conjunctus est.

In Nicolao Niccoli hominem offendimus late doctum atque facile totius dialogi cardinem et axem. Dubito num possimus alium capessere qui, nullo verbo ab ejus calamo tradito, magis Litteris Antiquis restituendis profuerit. Lautam enim atque locupletem bibliothecam ordinavit qua omnium generum libri continebantur, præcipue quidem libri ab omnibus Italiæ partibus corrasi, sæpeque situ obruti ac tales, qui aliter oblivioni omnino ituri fuissent.

Familiaritas hæc multis modis probatur, adeo ut Baron sit redarguere conatus ab ea pendere tota operis interpretationem: vult enim ut prior pars sit testamentum fœderis inter hos duos viros icti, qui veterum cultum colerent recentioribusque temporibus adversarentur; altera vero e diverso hujus simultatis pacem faceret et pacem instituat inter Leonardum et ejus sæculi consilia.

Utrumque est, id tamen dubitari nequimus, aliquo tempore hanc amicitiam fractam esse, præter dubium post annum 1416, a quibus multa epistolia tradita sunt a Leonardo amicis missa et vicissim, in quibus Nicolaum omnibus modis vituperavit. Necque illud multum distat, ut doctorum consensu illud mirum opus *Oratio in Nebulonem Maledicum* ad Nicolaum versus scriptum esse habeatur. Litis origo mores seu Nicolai facinora amatoria, attamen, licet eapropter sint amici deducti, negari vix potest multum præstare amicitæ frangendæ

⁶⁹ MANSFIELD (2001). Totus locus est lectu dignus, præsertim quum de eodem atque nos agat themate, scilicet rhetoricæ artis vi apud Bruni, seu in universum apud quoslibet scriptores. «Bruni is not lacking in subtlety. He is at least as subtle as Hans Baron. Baron laments the underestimation which Bruni's *Laudatio* has suffered, but we shall see that Baron rather continues than corrects this unhappy condition.» P229

cogitationes qui alius alias servabat, et quæ sat mature periclitatæ sunt ne omnia perdirent. Quod factum in *Dialogis* testabimur.

Sumus igitur eo adducti ut nunquam hanc rixam de mente pellamus, præsertim quum credere minime valeamus ob rem tantillam ita diuturnam amicitiam fore ut frangeretur. Causane prætexta sit an vera animi indignatio, dignoscamus oportet. Huc addice quod Niccolaum orta simultate Leonardus tum morum pravitatis tum aliarum causarum accusat, quæ nostra plurimum intersunt, quia ad *Dialogorum* Niccolaum spectant. His humanistis tot libris scribendis occupatis homo cujus per totam vitam calamus ne volumen quiddem ediderit non poterat quin acerbissimis verbis atque violentissimis carperetur. Nicolaus enim se florentinarum litterarum æquum tristemque iudicem gloriabatur, librosque curabat ut scriberentur quo propius doctrinis classicis accederent, ab ipso licet nullo edito.

Quæstio varia et multimoda: hinc eum quum intellegere vel etiam probare possimus, qui se ipsum abstinerit a gloria seu fama per litteras comparanda (utinam plures per sæcula eum secuti essent, inter quos haud nimis diligenter spero ne includer); qua re homines, sicut Leonardus erat, fortasse sese radicitus obsessos credentes, quod ea in vitia ingurgitabantur, necessarium censuerunt in eum impetum facere. Vere haud procul a Chrysoloræ exemplo distabat, qui post *Ερωτημάτων* libros nullum alium eddendum curavit.

Argumentum nimis tum fretum in psychologia tum ponderis parvi videbitur, quod quidem significabit me non incassum esse enixum. Nam postquam munere sum diaboli functus advocati aliter cogitemus suadeo: non est necesse magni faciamus Baronis humanismum civilem, ita ut aliquid vel minimum inesse agnoscamus, quod hac in re ita informatur ut possimus scire, sicut ipse Leonardus in suo *De studiis et litteris* libello dicit:

*Adhibenda insuper est litterarum peritia non tenuis neque contemnenda. Hæc enim duo sese invicem juvant mutuoque deserviunt. Nam et litteræ sine rerum scientia steriles sunt et inanes, et scientia rerum quamvis ingens, si splendore careat litterarum, abdita quædam obscuraque videtur. Quid enim prodest multa et pulchra scire, si neque loqui de his cum dignitate neque mandare litteris nisi ridicule possis? Atque ita conjugata quodammodo sunt peritia litterarum et scientia rerum.*⁷⁰

Næ hæc item, uti opinor, cur tantopere in priore *Dialogorum* libro tanti omnes disputationis faciant. Libri quidem quodammodo citra disputationem stare habeantur (idque dico pace Platoni), quibus licet viva voce respondere non possimus (quod Platonis argumentum est), tamen responsa perplurima semper produntur, et quamvis non semper in nostra præsentis temporis republica ejus pondus fulciatur, tamen in Republica Litterarum

⁷⁰ *De studiis et litteris* [276].

colloquia ordinant, disputationesque. Sterilitas igitur quasi certamen quum singulare tum exitiale instituit. Si antiquorum operibus fruimur dumtaxat et nos repugnat quicquid huic æterno colloquio addere, non modo nos frangimur, sed ipsum colloquium. Ab hoc ipso timet Leonardus abhorret, idque jureque meritoque. Hoc est maximum rerum discrimen illius quod vulgo classicismi. Urget igitur agnoscamus esse quasi portam Jani, quæ conjungat hinc honores ellatos nimis, illinc litterarum sterilitatem. Alterum tandem ad alterum conducit.

Sterilitas igitur est cardo totius operis, eoque modo excusatur tantus de Niccolao excursus. Credo nos posthac multoties ad hanc rem redituros, et eo sæpius quo curiosius *Dialogos* excusserimus. Præfationi igitur ut finem faciamus eoque præfata corroboremus, terminalem sententiam excutiamus.

Motus profecto fuisses tum re quæ disputabatur, tum etiam personarum dignitate. Scis enim Colucio neminem fere graviorem esse; Nicolaus vero, qui illi adversabatur, et in dicendo est promptus, et in lacessendo acerrimus. Nos autem disputationem illam in hoc libro tibi descriptam misimus, ut tu, licet absens, commodis nostris aliqua ex parte fruaris, in quo id maxime conati sumus, ut morem utriusque diligentissime servaremus. Quantum vero in ea re profecerimus, tuum erit iudicium. [80]

Personarum dignitas debet nos delectare. Ne forte dubiam rem ducamus, semper nostra res agitur, non hominis cui votatur liber: licet ea omnia præmissa sint, quæ ad Niccolai indolem spectarent, si quis opus conficit suis æqualibus utile dumtaxat, parum proderit, necque operæ pretium erit investigare. Hoc quidem demonstrabitur in operibus *Divinæ Commediæ* instar, quæ lectori infinita quasi nomina jacent, necque tamen est necesse homines novisse ut illo quicquam possimus discere ex illo opere — legimus *de* hominibus, sed ii qui dicunt illius ætatis homines potuisse signa *Dialogis* inclusa intellegere, eoque magis eis frui non modo se ipsos fallunt vero etiam ipsam litterarum institutionem, cursum traditum, litterarum rempublicam. Optimi enim scriptores semper suis posteris scribunt, namque sciunt se haudquaquam tenere posse pro certo qui eorum libros legant, vere legant, alte atque cum magna cura, neque desultoria quadam ratione. Hosque igitur scriptores ut reverentia eis digna tractemus oportet ut tamquam optimos eos habeamus. Vere si optimi erunt, non spem decipient nostram, poterimusque ad altum eos ducere. Sin autem, minusque probabiles seu non tantopere nostram operam redimant, nihilo setius omnia facienda fecerimus, bono animo et conscientia erimus.

Duæ res ex hac dignitate comperiendæ videntur, scilicet Coluccium esse «*graviorem*», Nicolaum vero tum «*promptum in dicendo*», tum «*in lacessendo acerrimum*». Non ita tamen: quidnam vero dicat inspiciamus. Leonardus ipsi Petro hanc scientiam tibiuit: *Scis enim Coluccio*

*neminem fere graviorem esse. Scitne Petrus Hister Nicolaum esse ita acerrimum? Non. Hoc dici debet. Haudquaquam patet, seu liquet, seu circumjacentibus constat. Quid ita? Gravitas bene audit. Coluccio proni, vel antequam Dialogi cœpti sint, Leonardus enititur ut efficiamur. Quod est gravitati contrarium? Profecto levitas. Apertis verbis seipsum cohibet quominus dicat, tamen a principio Niccolaum hujus animi sceleris accusat. Is gravi homini adversabatur, utpote qui est promptus (subaudimusque *non libratum*), et acerrimus *in lacessendo*. Quisnam credere posset aliquem notare quod alios lacessere valeret laudem aliquam proferre? Ipse Leonardus est verus qui laudando lacessit, et denuo subtilitate sua nos ad reliquas *Dialogorum* partes intellegendas parat. Itaque nulli mentimur nec fallemus hanc præfationem jactantes pæne omnia, quæ subsequenter, quodam modo seruisse, quæ semina nobis per *Dialogos* lustrantibus florebunt eundo.*

2.1. Pars Prior. Scæna.

*Il pianeta della nuova Atene era Saturno, il segno della malinconia,
della sapienza sublime, ma tormentata ed enigmatica.*

Eugenio Garin

Præfationem tandem vidisse contenti ad priorem *Dialogorum* partem tandem accedamus. Jam nostra non est ætas, qua humanistæ quasi fidei christianæ obtrectatores atque objurgatores habeantur. His temporibus nemo doctus est, quin eos saltem probos christianos habet, atqui omnium consensu id planissime constant, si qui conati sunt in fide christiana mutare, id potius proficuum quam noxium fore arbitratos esse. Sed tamen inter hos reformationis conatus multa quidem continentur, quæ aliter sunt exæstimanda atque solitæ cogitationes de hac re. Quum igitur locum sic offendimus,

Quum solemniter celebrarentur ii dies, qui pro resurrectione Jesu Christi festi habentur, essemusque in unum Nicolaus et ego pro summa inter nos familiaritate conjuncti, placuit tum nobis ut ad Colucium Salutatum iremus, virum et sapientia et eloquentia et vitæ integritate hujus ætatis facile principem. [82]

Non debemus eum credere quadam simulatione usum esse. Tunc tandem, quum humanistæ in suspicionem atheismi apud quos incurrerant, hic locus eo modo intellegi poterat: dies ii *solemniter* celebrantur, et quid facessunt ii duo? Ventitant una ad amicos. Jocus verborum, sed non ita. Paulo antea significare volui timorem ne nimia in minimis invenirem; attamen hoc loco quendam ex multis locis nanciscimur ubi contentionem inter inter cultum

Christianum, quomodo floruit media ætate atque tunc, quum hæc nova ætas oriretur. Tales Christiani florere incipiebant quales Leonardus et Coluccius, quibus antiquorum doctrina saltem non jam primo obtutu veræ fidei adversabatur; immo sunt qui credere ausi sint eam aliquid fidei christianæ, si fas est, addere posse. Coluccius eum librum Divi Basilii, de quo supra diximus, Leonardo vertendum commisit, eundemque Leonardus præ omnibus veterum litteras habuit, præcipue gentilium (nullum aliud est interpretatus Ecclesiæ Patrum opus). At multum adhuc abest, ut bella et præclara illa Pici Mirandolensis synthesis, cujus ope veterum sapientiæ aliæ aliis cumulata erunt, quo facilius cælitus earum cultores excipiantur. Attamen nemo me dissuadere poterit quin credam cum doctis amicis disputare sit *solemniter* quemquam diem celebrare. Pluris igitur, quam primo obtutu fortasse videatur, facito in hac paragrafo verbum *solemniter*, quippe quasi admoneat: sacra quæ sequentur.

Pascham⁷¹ una degunt Leonardus atque Nicolaus qui ipsi alius resurrectionis, non Dei quidem, sed litterarum, pars magna erunt⁷². De Nicolao dicit se esse cum eo «*summa familiaritate conjunctum*», econtra Colucium Salutatum tribus laudis generibus cumulat: sapientiæ, eloquentiæ, integritatis. Omnia in se habet ad hominem quum doctum tum *humanum*. Sapientiam dico litterarum doctrinam, quæ hominem umbrosam reddit, qui eam hanc dumtaxat obtinere enitatur. Quapropter Colucius etiam eloquentiam habere dicitur, qua præsentem doctus gressum ad civilem vitam facit. Sed quum, ubi primum hominem doctum atque civilibus muneribus occupatum offendimus at cui vitæ integritas desit, statim eum multo peiorem quam si elinguis vel indoctus esset æstimamus, jureque eum sophistam appellamus, sic quoque, si forte Coluccio hæc deesset, melius fuisset horum *Dialogorum* hic recta finem habere. Itaque quadratus homo nobis offeritur, nisi aptius triangulus.

Siquidem his rebus is «*illius ætatis facile princeps*» fuit, excelsisque laudibus a principio cumulatur. Quod duo statim oportet agnoscamus significare posse. Aut conatur nos ad ei favendum jam hinc inducere, quod admodum verisimile est, aut ut nostræ curæ præsidium dimittamus, omniaque ab eo dicta credamus. *Susplicari*. Hac in re imprimis Socrate imitatur, cui nihil fuit antiquius quam ut Delphica vel oracula perscrutaretur. Dubiam facere rem mihi mens videtur esse consilium Leonardi. Ex præmissis item liquet nullo genere convenire, ut ad 'verum' Coluccium accedamus, ejusque vitam indagantes quandam sententiam proferamus de

⁷¹ Notandum quoque jam Ciceronem talia in suis facessisse. LEVINE (1958) «Thus, in his representation of the *mise en scène*, Cicero often exercised special care to indicate that the discussions of which he gave an account occurred under circumstances which did not interfere with the fulfillment of public duties and obligations by the participating speakers. A good illustration of this technique is found in the *De Republica* and the *De Natura Deorum*, for they are both described as taking place on the *feriæ Latinæ*, when public business was suspended.» P17

⁷² Ultimum hujus operis vocabulum: *Surreximus* [116].

Dialogis. Quodsi forte cuipiam ope Colucci vitæ talia excutere cordi erit præter ea, quæ in hujus dissertationis prælusionem attulimus, alio se conferat oportet⁷³.

Obviam hi duo eunt Roberto Russo Chrysoloræ discipulo, qui quoque familiariter Leonardo usus est⁷⁴ (qui partes nanciscetur operis haud crebas sed ponderosas), quem ambulatorum gregi adjiciunt. Dein statim nobis prima occurrit occasio qua jam quum Niccolaum adumbrabamus offenderamus, quæstio scilicet de sterilitate, cujus sæpe cum *silentio* confunditur:

Ad [Coluccium] ut venimus, comiter ab eo familiariterque accepti, deinde sedere jussi, consedimus, paucisque verbis ultro citroque dictis, quæ primo congressu amicorum haberi solent, deinceps silentium subsequutum est. Nam et nos Colucium ut alicujus sermonis princeps foret expectabamus, et ille nos ad eum vacuos venisse nec quicquam in medium ponendi causa attulisse nequaquam arbitrabatur. Sed quum longius progrediretur silentium, essetque manifestum nihil a nobis qui ad eum veneramus proficisci, conversus ad nos Colucius eo vultu quo solet quum quid paulo accuratius dicturus est, ubi nos attentos in eum vidit, hujusmodi est verbis sermonem exorsus. [82]

Ac id quidem dicendum, silentium hominum duplex exstare, alterum scilicet sponte tacentium, alterum vero nihil habentium quod dicant. Prius silentium genus longi cursus partem capint, et jactat hunc agendi modum a prudentia oriri, idest a rebus præcipuis hominibus servandis seu, quod potius, ab aliis arcendis; duo habet cacumina, scilicet apud Platonis *Rempublicam*, lucem ubi e caverna profugus lucem intuetur, tum vero apud Evangelia, quum Jesum a Pilato quid sit veritas interrogatus nullum responsum reddit. Alterum tamen genus, quod deo puniente multo frequentior habetur, oritur quancumque quoddam eloquium proferre avemus sed promptæ perdidimus modulos loquelæ: equidem ejus opinionis sum ut suspicer hoc non esse *ignorantia* vocandum. Ignorantiâ enim afficimur, quum quandam pravam notitiam cujuspian rei habemus. Hoc contra, quod hic fit, potius nuncupandum credo *sterilitatem*, qua afflicti nova nequeunt proferre, neve (quantulum fieri possit) omnino inaudita, neve vero quoddammodo quædam jam pridem nota reinstituere, enucleare et hucusque ignotas develare rerum conspirationes.⁷⁵

⁷³ Ronaldus Witt est virorum doctorum qui præcipue de Salutati scripserunt habendus facile princeps. Imprimis igitur legendus videtur *Hercules at the Crossways*, quem non potui invenire, atque *In the Footsteps of the Ancient*; præterea, quod ad symbolas, James Hankins nonnullas de Coluccio, quibus fortasse seligerem *Coluccio Salutati and Leonardo Bruni* (Forthcoming).

⁷⁴ VITI (1996) P82

⁷⁵ Si ad grammaticam artem respicimus, ut eam Politiani more iterum disciplinarum reginam redintegremus, non sicco nostro more atque umbroso, sed fertilem frugum atque, ut ait George Steiner,

Brevi comperiemus magnam hujus operis partem in eo consistere ut duos oppugnantes in certamen compellat, quorum uterque quandam *sterilitatis* formam inconsulto profitetur. Nunc prima occasione, more platonico, quo homines non solum verbis verum etiam suis gestibus, affectibus, et ita porro, opiniones suas nobis investigandas promunt. Hæc igitur trias a Leonardo Niccolao Robertoque composita domum Salutati pervenit secura cujus argumenti excutiendi causa ventura sit. Quod Coluccio ferme incredibile videtur. Scænam hanc ante oculos agere necessest, quantumque moveatur risus agnoscere. Sine dubitatione et advenæ erubuerunt sua ipsorum vacuitate.

Nec in medium hoc dumtaxat ponendum est, ut hos qui ad sterilitatem spectare videntur, vero etiam quia, modo in opus ingressi, jam aliquid cogimur inspicere quod Leonardum multo mirabiliorem reddit eo quod exspectabamus. Qui enim ad opera dialogorum speciem accedunt, haud frequenter seipsos in scænam inducunt, jam inde a Platone, qui nunquam se personam præberet (præterquam quum uno eo loco quo aliter fieri nequit, scilicet in *Socratis Apologiam* in qua ne loquitur quidem; et aliter de se mentio fit maiore solito ironia usus, notissimo in illo Πλάτων δὲ οἶμαι ἡσθένει⁷⁶). Item Cicero in dialogum quem Leonardus cudit ad *Dialogos* scribendos non persona inducitur, scilicet opus *De Oratore*, ubi nonnulla presso vestigio sectatur, tamen seipsum abstinet quominus eligat semet ipsum locutorem inducere⁷⁷. Leonardum autem talia facessere non tædet, et licet offeramus eum Ciceronem usque imitari ad unguem, ut semper *De Oratore* habeat in mente, sed multa alia secum servare, scilicet *Tusculanas Disputationes*, *De Natura Deorum*, etc, quibus in operibus ipse scriptor se quamvis personatum adducit.

Velimus nolimus eum sic accipere, utpote maximum atque ut ita dicimus *ante litteram* ‘Ciceronianum’, manet hoc infixum, nequaquam fore ut dicamus nexum non fingi modo, vero equidem apparere inter hæc et quæ præmissa sunt. Minime igitur operam perdimus et oleum quum Platonem adumbrabamus. Videmur enim totam hanc rem nacti quasi illius græci philosophi sempiternarum quæstionum musicam variationem. Ubi Plato nunquam in lucem prodidit, ita Leonardus in tenebris manet; ubi Plato apud *Phædrum* de scripturæ sterilitate

of *Creation* eam dicamus, hinc ignorantiae illinc sterilitatis interstitium idem hac in lingua exstat inter verba temporalia latine quæ *novisse* dicuntur atque *scire*.

⁷⁶ Platonis *Phædon* 59.b.9

⁷⁷ LEVINE (1958) «Cicero was also keenly conscious of the necessity to have the right sort of people participate in it. Thus, in the *De Republica*, as he wrote in a letter to his brother Quintus, the high rank of the disputats *aliquantum orationi ponderis afferebat*. Doubtless, from the conservative Roman point of view, a bare-footed stone-cutter or sculptor, who spent much of his time conversing with idlers in the market place, would have been wholly ineffective, if not downright intolerable, as principal interlocutor in a Latin dialogue on so lofty a subject as justice or the commonwealth.» P17

gravia et damnantia verba obtulit simul atque innumerabiles conscribit dialogos, ita quoque Leonardus de sterilitate temporum grandiloque dicet simulac magnum componit opus, multo maius quam suæ ipsius ætatis testimonium, immo etiam quasi δαίμων vel omnium ætatum hominibus talia agitantibus dux cogitationum.

2.2. Colucci Contio Prior.

Nunc vero, ut pergamus, gradus compescamus et pedem referamus. Aliquid agnoscit Coluccius, horum enim novit indolem. Vultum ad latus vertit et incipit. Primitus, primis quidem prolatis verbis, horum juvenum Coluccius ordiendum iudicat ab eorum studiis laudandis morumque familiaritate. Quod cuncte non persequitur, nam post primas illas laudes hoc vero jactat:

Verum una in re parum mihi probati estis, eaque permagna. Nam quum ceteris in rebus, quæ ad studia vestra attinent, tantum in vobis curæ vigilantiaque perspiciam quantum debet esse iis, qui se homines frugi ac diligentes appellari volunt, in hoc uno tamen vos hebescere neque utilitati vestræ satis consulere video, quod disputandi usum exercitationemque negligitis: qua ego quidem re nescio an quicquam ad studia vestra reperiatur utilius. [84]

Ergo statim ab initio prohibentur a quadam peritia adipiscenda. Nihil erit *disputandi* usu utilius. Quicquid sub *disputationes* nomine intellegimus, aliquid debet esse quod non modo cum litteris habeat rem, verum etiam cum earum usu *apud alios*. Nondum agitur de facultate qua alii aliis prodesse possint (unde fortasse intellegendus est cardo Baronis mendi, causaque qua eo est ut credat adductus hos *Dialogos* quasi humanisi civilis gravem testem et documentum), potius de quadam apud veteres frequentatissima cura, quam circa ipse Cicero crebra prompsit opera (inter quæ numero commetiamur quum nonnulla summi nominis ceu *Brutus*, *De Officiis*, tum ipsum *De Oratore* quod in hisce *Dialogis* æmulat). Etenim ut quarundam e superiore loco refricemus memoriam disputatio illa erit vis qua «*peritia litterarum et scientia rerum*» junguntur, qua absente sequestrantur, et quæ quidem potest fieri quum inter homines eodem loco versantes interque æquales tum potissimum, quod ad litterarum rempublicam spectat, inter homines qui sæculis sine numero deducuntur, ut appetitus, immo equidem aviditas exoritur cum sui anterioribus certandi seu vero superandi eos. Itaque nihil est *disputationi* antiquitus, quam careat ne unquam ἀγῶνος.

Res urget alia dici. *Disputatione* dialogi omnimodi continentur, si modo, quod probabile, proni simus ut sub dialogorum nomine intellegamus non ea dumtaxat quæ viva voce fiant, verum etiam quæ vivæ vocis speciem operantia sermonis virtutes feliciter

consecuta sint, videlicet multis opinionibus in medium arcessitis atque aliis aliorum ope corroboratis temptatis confractis. Cujus consilii partem si capiemus subinde Leonardum varium atque fallacem inspeximus, quippe disputationem de disputationis facultate instruxit, et qui ipsum opus quod legimus producit quasi totius argumenti axem cæsurum. Saltem igitur tres erunt stratus, scilicet, primum verborum candide acceptorum, dein sensus argumenti subeuntis. Postremo et libri ipsius argumentum colligere possemus, si utramque *Dialogorum* partem investigaturi essemus; quod quum ad nunc tempus non sit verum, in proximam occasionem hoc producemus, quod tamen non impedibit quominus totum Prioris Partis conspectum ad finem acquiramus. Hæc proxime servemus. Quid igitur. «Vos enim», pergit Salutati,

Et in plerisque id videre potestis, qui quum litteras scire se profiteantur et libros lectitent, tamen quia se ab hac exercitatione abstinere, nisi cum libris suis latine loqui non possunt. Itaque ego, qui vestræ utilitatis sum avidus, quique vos quam maxime florentes in studiis vestris videre cupio, non injuria vobis subirascor, si quidem hunc disputandi usum, ex quo tot manant utilitates, negligitis. Etenim absurdum est intra parietes atque in solitudine secum loqui, multaque agitare, in oculis autem hominum atque in cœtu veluti nihil sapias obmutescere; et quæ unam aliquam in se utilitatem habeat, ea magno labore prosequi, disputationem vero, ex qua permultæ utilitates proficiscuntur summa cum jucunditate, nolle attingere. [84-86]

Quinam his verbis dictis in mente habentur? Quod disputationis consuetudini non incubentes loqui coram non valeant mirandum est? Hoc constaret, nec vero præcipue disputationi adscribendum neu magni pretii iudicium. Sequens autem dignum est quod caveamus. «*Nisi cum libris suis latine loqui non possunt.*» Numquis credet eum conari quodammodo nobis mentem injicere ut hominem fingamus adeo mente male sanum ut libros suos ad disputationes afferat? Etiam hoc nimis simplex esto. Mihi videtur potius statim pungere, quod libris semper opera impendant ut quicquid eloquantur. Quia *possunt* latine loqui, libris licet adhibitis. Leonardus concivis est illius Poggi Bracciolini, qui post paucos annos, anno scilicet 1417, Quintiliani *Institutionem Oratoriam* inveniet, quo opere Latine loqui suum proprium recuperat pondus. Nam, ejus gratia rescimus, apud optimum quemque scriptorem illud verbum non ‘linguâ latinâ loqui’ significat⁷⁸, sed potius ‘elegantem et id probatissime, ut ait Apuleius, «Quiritum indigenam sermonem» adhibere⁷⁹. Per hæc tempora

⁷⁸ O’ROURKE (2006) videtur hoc ignorare, ea de causa totam suam dissertationem scripsit persuasa rem esse talem, ut de linguæ latinæ adhibendæ facultate, quæ in eo esset ut laberetur, totum *Dialogorum* opus ageret. Quod nihilo remotius.

⁷⁹ Quintiliani *Institutio Oratoria* I.27 «Mihi non invenuste dici videtur aliud esse Latine, aliud grammaticæ loqui.»

non mihi persuasus sum nos posse pro certo ducere Leonardum hæc discrimina servasse. Sed jam vel in primis paginis cœptæ sunt tales difficultates indagari, ut Coluccii ironia nos indesinenter arietet cogatque maxima cum vehementia ut in tutum portum confugiamus, ubi quomodo intellegendi sint hi homines reperiamus.

Suscendenti tamen quid dicatur ambigimus. Salutati enim, uti ipse affirmat, horum juvenum magistri munere seu officio functus est. Si quid desunt, ipse imprimis culpandus apparebit, quod se abstinuit ab eos tanta docendo. Versutior autem is rota figurare, laudibus cumulat quoniam ceteroqui florent, neglectæque disputationis culpam ad eos devertit. Huc accedit ut de fabulæ tempore hic quoque loquamur. Estne prima occasio qua taliter conveniunt animum exercendi gratia? Sic videtur, quia sin autem in quanam ergo re soliti essent præteritis occasionibus suum tempus impendere? Nulla alia in re quin in disputando (de qualibet re), sed hoc verum si esset, dicta Coluccii inter sese repugnarent, quod hucusque non habemus cur verisimile putemus. Ut florem in antecessu tangam, possumus bene colligere Coluccium ingentem sponcionem facere: aut non erunt potis disputationis, ergo is carpendus est; aut contra, si dicere valent, hoc interpretabimur sicut pignus quo sciamus eos *libris suis latine loqui* posse, immo vero librorum satis magnam superesse manum qua hanc doctrinam adipiscantur.

Equidem memini, quum puer adhuc Bononiæ essem, ibique grammaticis operam darem, me solitum quotidie vel æquales lacescendo, vel magistros rogando, nullum tempus vacuum disputationis transisse. Neque id quod in pueritia feci, postea vero annis crescentibus dereliqui; sed in omni ætate atque vita nihil mihi gratius fuit, nihil quod æque expeterem quam doctos homines, si modo potestas data sit, convenire, et quæ legerim et quæ agitaverim et de quibus ambigerem illis exponere, eorumque in his rebus percontari iudicium. [86]

Illuc de pueritia sua fabulam addit, dicitque se puero nunquam non disputasse, sive cum æqualibus sive cum maioribus. Non tamen idem disputationis genus apud utrosque colebat, nam 'æquales' lacessebat, 'magistros' rogabat. Doctos quidem homines, pergit, solebat opiniones rogitare suas ipsius sententias aperiendo atque postea «*eorum de his rebus percontari iudicium*». Disputandi autem cum maioribus potestate retenta, disputatio vera modo cum æqualibus dabatur. Videtur Salutati nimio ardore meminisse illius ætatis, velleque eam iterum in vitam trahere. Quod ut fieret, et his novis discipulis deberet modo illud modicum disputationis genus permitti, quo inter se quælibet disputare, sed tandem maiorem quidem natum (hic Coluccium) adire, a quo sententiam rectam proferente veritatem rescirent. Ab homine haud indocto sed saltem suæ ætatis foetu eos, qui veteres illos in manibus tenerent,

recentioribus naturâ multo meliores, tædet doctrinam comparare qua scirent quomodo sese agere deberent, respuuntque imitari eos.

Insuper quandam aggreditur fabellam ut dicta firmet, qua autem periculum quasi de Carthagine in sartagine incursum nobis magis in horas videtur non bene orationis suæ vim retinere posse. De “Ludovico theologo” agit [Luigi Marsigli], quodam maximi Florentiæ nominis docto viro, fratre Agostiniano, gentilium litterarum idemque christianarum validam notitiam obtinente, quo de quamvis non multa sciatur, ingens pondus in constituendis operibus nexibus nanciscetur.

Scio vos omnes tenere memoria, teque magis, Nicolae, qui pro summa necessitudine, quæ tibi cum illo erat, domum illius egregiam frequentabas, Ludovicum theologum, acri hominem ingenio et eloquentia singulari, qui abhinc annis septem mortuus est. [86]

Omnes, Nicolaus in primis, eum tenent memoriâ. Nonne tamen miri aliquid his inest dictis, quum aperiat Nicolaum Ludovico familiarissime usum esse? Nec vero magnum videtur exstare discrimen inter Nicolaum et Coluccium ad Ludovici ventitantes. E sua consuetudine Coluccius laudem (seu melius gratiam) sibi depromit quam ad juvenes exhortandos adhibet, eumque mirum in modum fugit, nam si a Ludovico disputationis consuetudinem didicerit, quamobrem Nicolaus non item didicit? Paulus Viti dicit eum «*adultum esse apud cœtum Sanctus Spiriti circa qui Ludovicum Marsili fratrem augustinianum ambigebat*»⁸⁰ et postea «*apud cœnobium florentinum Sanctus Spiriti [Ludovicum] fertilem concelebrasse cœtum quo permulti litterati homines apud Coluccium versantes confugerunt*»⁸¹. Quid igitur potuisset Coluccius didicisse ab eo adhuc Nicolao ignotum? Uterque eodem usus est magistro, sed videbimus Coluccium magno cum acumine posse agnoscere quum multa pendere a magistro tum vel magis a discipulorum animo.

Ad hunc hominem, dum ille erat in vita, veniebam frequenter, ut ea ipsa quæ modo dixi ad eum deferrem. Quod si quando, ut fit, minus provisum domi a me fuisset, qua de re secum illa die verba facere vellem, in itinere ipso providebam. Habebat enim ille trans Arnun, ut scitis: ego mihi flumen ipsum signum et monumentum quoddam feceram, ut ab eo transgressos ad illius domum omni medio spatio in his rebus essem occupatus, quas mihi cum illo agitandas proponerem. Et quidem, ubi ad ipsum veneram, per multas horas protrahebam colloquium, et tamen semper ab illo discedebam invitatus. Nequibat enim animum meum illius viri explorare præsentia. Quanta in illo, di immortales, dicendi vis! Quanta copia! Quanta rerum memoria! Tenebat enim non solum ea quæ ad religionem spectant, sed etiam ista quæ appellamus

⁸⁰ VITI (1996) P81

⁸¹ Idem P87

gentilia. Semper ille Ciceronem, Virgilium, Senecam aliosque veteres habebat in ore: nec solum eorum opiniones atque sententias, sed etiam verba persæpe sic proferebat, ut non ab alio sumpta, sed ab ipso facta viderentur: omnia jam pridem spectata habebat et cognita. At ego multa ab eo audivi, multa didici, multa etiam, de quibus ambigebam, illius viri auctoritate confirmavi. [86-88]

Quum dicat se velle «*ea ipsa quæ modo dixerat ad [Ludovicum] deferre*», quæ dicebam probat. Disputatio inde orta est, quod inter eos disputandi consuetudo instaurata occasiones perplurimas præbuit juvenemque docuit senior. Nec vero, a Coluccio subaudimus, hoc sufficit, hos enim (Nicolaum dico) dicere veremur quicquid didicisse. Magnifica cum arte Leonardus nobis in scænam instruit quasi ludum ludi intus, illarum rutenicarum puparum instar, simul atque Coluccius apparet ansam rapere hos homines taxandi, qui ad eum venerunt argumento vacui. Dum hoc audimus dubitamus de causa qua huc ita orbat adducti sint. Num quia non thema invenire non valuerunt? Minime, quorundam memoriam refricemus igitur verborum, advenæ enim «*alicujus sermonis [Coluccius] princeps foret expectaba[nt]*». Coluccio tale iudicium averruncendum, nullo pacto auderet ad Ludovicum adire nisi jam verbis occasioneque accinctus ad colloquium. Quid igitur? Duos homines — qui fortsitan intellegendi ceu greges ectypave — præsto habemus, quorum *uterque* easdam amicitias, immo vero in gradu est easdem consuetudines excellendi. Quid differunt inter sese? Primum scilicet omnium illi expectabant alium debere argumenta ponere, hic ipse attulit. Illi non credebant se ne debere quidem in antecessu quicquid disponere, hic ea quæ *ipse* jam diu meditatus erat afferebat ut ejus auctoritate ea sibi confirmare possit («*ego multa ab eo audivi, multa didici, multa etiam, de quibus ambigebam, illius viri auctoritate confirmavi*»).

Peculiare tamen admodum apparet id primitus dictum non stare, quum de *Querelle des Anciens et des Modernes* loquebamur, nam, sicut Stanley Rosen dictitat passim, in hisce inter veteres recentioresque controversiis personæ recentioribus dumtaxat participantur. Hujus rei persuasus ea operis principio præmittens autumavi has disputationes semper de nobis agi, quod patet, nec vero prohibemur a litibus, sed potius sunt appetendæ: hic porro de duobus recentiorum hominum generibus agitur, qui ad certas sapientiorum ac definitas accedunt opiniones quique audiunt excutiuntque, ultimo tamen ipsi eligunt quorsum sit vertendum. *Dialogos ad Petrum Histrum* si legamus dum veterum fautores ab recentiorum sequestremus toto aberrabimus cælo. *Uterque* est veterum fautor, in gradu erat enim agnoscendi multum fore ut sibi prosit modo si ad veteres («*Ciceronem, Virgilium, Senecam aliosque*») intenderet aures. In eo autem discrimine ambo feruntur de pondere hisce veteribus tribuendo; non modo hoc, sed etiam, quod maxime nostra interest, ab hac re pendet quum mens qua ad veteres appropinquent tum qua totius vitæ conspectum sibi seligant comparandum. Hinc eo adductus

sum ut de sterilitate loquerer. Neque præcipue de veteribus fero hinc nos aliquid discere posse. Nam, hoc puncto tenus, haud multum refert cui animum vertamus, quemve responsa petamus; hic status quo ad manus itur facile aliis protagonistis iterari potest.

2.3.1. Nicolai Contio Prior

*Ewigkeiten, über dich
Hinweggestorben ...
Paul Celan*

Suasiones seu aptius impetus Nicolaus resonare conatur. Peregrina tamen utitur responsi ratione, foras quasi omnia excutiens, parum enim distaret forte si «nihil novi, Colucci, at grates» diceret. Cogitantibus nobis tandem videtur unum quod fieri posset responsum, quum jam ad præteritæ partis finem dixerimus hæc non de doctrina præsentis vel deficiente agi verum enimvero de conspectu super rerum circumjacentibus in utriusque hominum generis manibus, ubi vix ullus alium docere potis erit conari — non igitur de facili præstantia principatue sed de persuasionem agetur, fructuosas siquis vires effundere volet.

Tum Nicolaus: «Est ita profecto, inquit, Salutate, ut ais. Neque enim facile reperiri posset, ut credo, quod ad studia nostra plus quam disputatio conferat; neque ego id nunc primo ex te audio; sed et Ludovicum ipsum, cujus commemoratio a te facta pæne mihi lacrimas excussit, persæpe hoc idem audivi dicentem. Et Chrysoloras is, a quo isti litteras græcas didicere, quum ego aliquando adessem, quod, ut scitis, faciebam frequenter, nullam æque ad rem ut ad conferendum inter se aliquid auditores cohortatus est. Sed ille simpliciter atque verbo nudo, quasi rem perutilem esse constaret, adhortabatur, nullam ipsius rei vim ac potentiam demonstrans. [88-90]

Coluccii jactantiam ob ejus cum Ludovico familiaritatem nunc quasi *fabulæ* dimittit. Næ ille non præcipue cum Coluccio conjunctus est; utique non se Nicolao familiaris, eique locum superiorem diffitens magistrum superare temptat, quod ut faciat Chrysoloram obtestat⁸². Non est opus eadem proinde ac in primo capite iteremur de amicitia inter Chrysoloram et Coluccium facta, sed memorandum fero Coluccium nunquam quoad scimus byzantini illius doctoris frequentasse scholas nec græcum sermonem didicisse. Quod tamen

⁸² Hæc testari possumus si legimus illam seram *Orationem in Nebulonem Maledicum*, qua licet neutiquam pulchre, dicatque ut lædat, testimonium affert præteritorum: «Quid dicam de perfidia ejus in amicos? Quamquam nescio an in illa tam importuna malignaque natura cadere amicitia possit. Attamen sic est ut neminem fere habuerit paulo conjunctiorem familiaritate et usu, cum quo non ad extremum capitali odio dissideret, ut in Chrysolora et in Laurentio Marci filio et in aliis quibusdam apparuit.» [362]

mirum est profecto, ne Nicolaus quidem hanc sibi adeptus est facultatem, qua Leonardus olim excellit — quo ergo consilio ita noster Nicolaus exorditur, adeo ut «*faciebam frequenter*» addat?

Nunc licet dixissem me non exteriora multa relaturum non omnino abs re hic erit quendam laudare locum ex præmissa *Oratione in Nebulonem Maledicum* sumptum, scilicet in Nicolaum, quam Leonardus 1424 litteris commendavit:

De viventibus autem pudet etiam nunc referre qua iste acerbitate Chrysoloram byzantinum abundanti doctrina hominem insectatus sit, quem omnes ob singularem scientiam moresque probatissimos colebamus; hic unus inventus est, qui omnifariam injuriis contumeliisque lacesseret, quoad consilium cepit ex hac urbe demigrandi. Tu monstrum importunum atque nefarium, tu, inquam, nebulo, illud sapientiæ jubar, illum litterarum solem, quo illuminati sumus, ex hac urbe pepulisti; tu calumniis, tu infamiis, tu omni scelere sanctissimum illum virum persequi non veritus es. [344]

Hæc memoranda sunt, quoniam nonnulla in dubium revocant: si tot annis post Leonardus adhuc ab hoc tempore argumenta sumet ut eum nequam patefaciat, potestne ita fieri ut alium ironiæ ordinem inventuri simus, ab ipso Leonardo qui fortasse Nicolai mores jam parum probabiles censeret, simili modo atque jam quod nihil scriberet eum increpabat.⁸³ Quid tandem? Multa etsi extrinseca corradamus argumenta demum regrediendum est ad opus quod ante oculos habemus, necque imbecilli in biographia fulcire.

Quum Nicolaus quodammodo Coluccio conetur his subvenire, ne ad manus eatur, usus his verbis: «*Sed ille simpliciter atque verbo nudo, quasi rem perutilem esse constaret, adhortabatur, nullam ipsius rei vim ac potentiam demonstrans*», ne hic quidem mihi is pacem præ se ferre videtur, verba quidem proferens unde altiolem sensum cavet ne ulterius quam minimam degustet delibationem: ea enim sum opinione Nicolaum hic notare tantâ vehementiâ non esse opus, nam, quod res perutilis sit, jam *constat*; Coluccius venit juvenesque vocat, eis fuse loquitur, nec quicquid novi affert: omnia quæ fecisse voluerint jam fecerunt, quæ præterivere consulto præteriverunt.

Omnia? Minime quidem. Vero omnia quæ sunt in gradu faciendi, quibus multa adhuc desunt quæ desiderentur non tantopere laborum eorum deficientium ergo quam senescentium temporum. Hac occasione pars inter totius operis notissimas aggeritur ad argumentum,

⁸³ In eadem *Oratione*, «Non exigo abs te grandia nec multa, unum saltem aliquod vellem exiguum proferre; at nihil habes quod proferre queas, ne epistolam quidem unam, quod ignorantiae tuæ exploratissimum est argumentum.» [356]

Si vero in ea tempestate nati sumus, in qua tanta disciplinarum omnium perturbatio, tanta librorum jactura facta est, ut ne de minima quidem re absque summa impudentia loqui quisquam possit, du dabis profecto nobis veniam, si maluimus taciti quam impudentes videri.
[90]

Multa parvo loco ex hoc exhaurire oportet. Quum enim exordiat difitiens quicquid ex hoc temporis spatio colli posse («*si aliqua ratione nos commode id facere potuisse ostendes, non recusamus a te, quia id obmiserimus [omnia] perferre. [Si vero...]*»), statim gradum vertit. Nihil hic de eo, quod vulgo, ‘Romantismo’ — namque tempora non senescunt, nullum profecto limitem offendimus quem transgressis nobis ultra spem conatus nostros fracturi sint. Nusquam melius hujus notionis circumjacentia carpemus quam si ad *Historiam Florentini Populi* paulisper oculos vertamus. Romani enim imperii ætate media vehementer superfuit nomen, ubi *præparatio Evangelii* illa id curavit ponderis censendum quum humano generi tum Deo ipsi Christianæque fidei. Haudquaquam igitur quoddam inter alia imperium habitum est, potissimum vero primum inter præterita tempora futuraque. Nullum imperium quod post Romanum veniret possit ei adæquare, eodem pacto quod Christus semel nasci potuit, idque sibi selegit pro ortus loco. Historia fit theologia, seu *Heilsgeschichte* — historia redemptionis. Distincte apud Dantem hoc intellegimus, apud ejus *De Monarchia*, ubi monarcha est imperator romanus, seu ipsam apud *Comædiam*, ubi hinc deicida illinc imperatoricidæ disponuntur quasi parum distaret (quod ingens accipiet pondus in ultimis hujus theseos capitulis).

Leonardus Bruni apud *Historiam Florentini Populi* hanc cogitandi rationem demovet, qua spreta huic florentino licebit ipsud tempus resecare procul a lapide christianæ fidei. Roma non jam «*terrarum dea gentiumque*» habetur, ut ait Martialis, quia nunc mundus tendet alio: multa sunt imperia, regna, civitates, præter romanam. Nec, si adhuc Roma satis accipiebat honoris («*Civitates Italiæ paulatim ad libertatem respicere ac imperium verbo magis quam facto confiteri cæperunt, Romamque ipsam et romanum nomen, veneratione potius antiquæ potentia, quam præsentis metu recognoscere*» HFP I.74), ideo obliviscitur eorum quæ Romæ causa situ squalent ac oblivione. (Mens huic omnino contraria quæ ita res ordinat ut *translationem imperii* paret, seu *alteram et tertiam Romam* inveniendas curat.⁸⁴). Ut vero demonstret *Romam quoque* deterrimam in alios impulsionem habere esse solitam, bonum ei visum est eximia spe civitates testes afferre sub ejus ditione patientes, nec quicquid ei magis refert quam Florentiam extollere.

Crescere tamen civitatis potentiam ac maiorem in modum attolli, romanæ magnitudinis vicinitas prohibebat. Ut enim ingentes arbores novellis plantis juxta surgentibus officere solent

⁸⁴ Qua opinione Leonardum omnino solutum nunquam conspicimus, uti apud *Laudationem Florentinæ Urbis* [600 sqq].

nec ut altius crescant permittere, sic romanæ urbis moles sua magnitudine vicinitatem premens, nullam Italiæ civitatem maiorem in modum crescere patiebatur. Quin immo et quæ ante fuerant magnæ, ob ejus urbis gravem nimium propinquitatem, exhaustæ porro diminutæque sunt. Quemadmodum enim tunc cresceret civitatis potentia? Neque sane fines augere bello poterat sub imperio constituta nec omnino bella exercere nec magistratus satis magnifici, quippe eorum jurisdictio intra breves limites claudebatur, et hæc ipsa romanis magistratibus erat obnoxia. [HFP I.10]

Idemque:

Remisso dehinc bellorum metu, segura quidem ab armis Etruria fuit, sed veluti marcescente otio oppugnata. Est enim hoc mortalibus natura insitum, ut via ad amplitudinem honoresque exposita, facilius se attollant; præclusa vero, inertes desideant. Tunc igitur imperio ad Romanos traducto, quum neque honores capessere neque maioribus in rebus versari liceret, etrusca virtus omnino consenuit, longe plus inerti otio quam hostili ferro depressa. [HFP I.36]

Quid hæc ad rem, scilicet ad nostros *Dialogos* ne dicam ad Nicolaum nostrum tam acerbe in Coluccium invehentem, jure meritoque interrogabitis. Multum; nimium. Nicolaus sæpe habetur notioni cuidam favere, qua utens quasi cuneum inter antiquos et æquales conderet, itaque haud longe distaret a credendo immobile interstitium positum esse inter sese et eos. Quod verum si erit frustra navavit quisquam operam in superandis veteribus: in superando? *quietiam* in tangendo, nam quandocumque cogitationibus hujusmodi creditur, haud infrequenter anhælatur ipsa quasi ipsa Antiquitatis notio neque servatur modus in suspiris. Æque judicare oportet confitendo ipsum esse mox illuc tensurum. Hactenus autem præmissa confirmat; tonus non est in hominibus qui deesse apparerent, sed in eis quæ materialia vocamus: «*disciplinarum perturbatio*» [propter] «*librorum jacturam*». Sic, cur se indigne gerant taxandique. Fallimur tamen si nimis celeriter hanc apologiam accipimus, nec vero Nicolaum quicquid pænitebit dixisse. Culpanda sunt tempora, autumat (oblitus illius Augustini «*nos sumus tempora, quales sumus, talia sunt tempora*») — vel loqui est “impudentia” — hacpropter disputare est impudentia: fundamenta desunt, ambulantium solum finditur pedibus: *ein Zeichen braucht es*, si trans tantos gradiemur montes. Officitne ætas sermonem? Fortasse *hinc* sterilitas invocaretur, stupemusque quum legimus *maluimus*, præteritum tempus: vocem audimus per sæcula resonatem (“sed si tantus amor casus... incipiam”). Nunc est pudor projiciendus, ab hoc puncto erit loquendum, ‘impudicitia’ licet sermo habeatur. Vere hoc nobile ac pulchrum!

Mox igitur, postquam ‘garrulitatem’ repugnavit, laudare incohat ad disputationem necessaria. Scilicet, ea quæ dicuntur «*sapere atque sentire videri*», tum rem tenere tum «*solum*,

sed consequentium, antecedentium, causarum, effectuum, omnium denique quæ ad eam rem pertinent habenda cognitio», quod

his enim ignoratis nemo disputator poterit non ineptus videri. Hæc quantam molem rerum secum trahant, videtis. Omnia sunt inter se mira quadam conjunctione annexa, nec pauca sine multis bene scire quisquam potest. [90-92]

Nunc quanta calliditate, quanta astutia, quanta denique subtilitate sit opus ut, parvo temporis spatio postquam ita torva segnitiam increpuit temporum, omnia quæ ignorari non possunt recenseat, eoque demonstret se materiem bene tenere. Quid enim distat a scientia — saltem a scientia artis præcepta appetente — quam posse hæc ordinare? Nam hoc est, quod possit e libris haurire. Ad hoc necesse sunt enchiridia taliaque. Si Nicolaus jam hæc scit, parum distat quam credamus ei pauca deesse. Quicquid dicturus est erit cum ingente grano salis accipiendum, nisi jam erat vehementer. Quia fortasse mentem vult avertere nostram a talibus cogitationibus, alio deviat — suspecto cui nomen dat «*ad institutum revertendi*». Verum enimvero videtur nos ludibrio habere lectores. Primum conquestus est, dein omnia necessaria ordinavit, postremo querellam iterat suam paucis verbis mutatis,

Sed satis multa de hoc; ad institutum revertamur. Ego quidem, Coluci, in hac fece temporum atque in hac tanta librorum desideratione, quam quis facultatem disputandi assequi possit, non video. Nam quæ bona ars, quæ doctrina reperiri potest in hoc tempore, quæ non aut loco mota sit, aut omnino profligata? Pone tibi ante oculos unamquamque earum quam velis, et quid nunc sit quidve olim fuerit considera: jam intelliges, eo deductas esse omnes, ut penitus desperandum sit. [90-92]

Hujus rei testem præcipue affert philosophiam, quum sit «*bonarum artium parens et cujus ex fontibus hæc omnis nostra deriv[e]tur humanitas*». Hoc tamen est mirandum. Cur enim, si de *disputatione* hucusque verbum fuit, ad philosophiam torquetur? Num idem sunt? Maxime conjunctæ licet non eadem sunt disciplina. Adeo ut Aristoteles, in quem dudum invehetur Nicolaus, vero fuerit primus arctum nexum qui effecerit has inter duas provincias, necque defuerunt philosophiæ scholæ quibus rhetorica et philosophia non modo optime haudquaquam congruebant vero inter sese repugnabant.⁸⁵ Hic autem rimam invenisse videmur qua opus *Dialogi* hæreditatem accipit parentis sui, Ciceronis *De Oratore*. Ibi indagabat unusquisque oratorem maximum, quis fuerit vel potius qualis. Quamobcausam igitur ad philosophiam considerandam progreditur? Trans *Dialogorum* terminos nobis erit condicendum haud leve pondus sumptum esse a libro ciceroniano, qui crebro oratorem una

⁸⁵ De hoc themate optime sunt duo viri docti locuti, imprimis SEIGEL (1968) et GRASSI (1980).

cum philosopho asseverat esse ponendum⁸⁶. Operis tamen intra fines, quos malimus quam exteriora rimari, philosophia subticenti quadam ratione sinus efficitur dialogi medullaque — proxima qua alia adumbrabitur res occasione ([100]) ad *dialecticam* cursum dirigemus, quæ quidem apud veteres præstans valde fuit pars philosophiæ (inde quodammodo hæc via non jam hinc variabitur).

Ubi primum de philosophia loquitur, eam subgræcanicam haberi æstimat. Fuit enim “*ex Græcia in Italiam a Cicerone traducta*”; iterans quæ ipse Cicero *Tusculanarum Disputationum* principio dixerat de Latinarum litterarum præstantia Romanorumque⁸⁷ (sed oblitus ipsius Ciceronis suasionis, «*meos amicos in quibus est studium in Græciam mitto id est ad Græcos ire jubeo, ut ex fontibus potius hauriant quam rivulos consecentur.*»⁸⁸) Lectoribus quod Ciceronem ‘aureum eloquentiæ flumen’ vocet extemplo forsitan non magnopere erit mirandum, sed incredulitas paulatim resciendo oritur non Ciceronem sed Aristotelem a Cicerone esse ‘aureum flumen orationis’ in suo *Accademicorum* libro nuncupatum.⁸⁹ Quid habet in mente? Sine dubitatione novit Nicolaus⁹⁰ hunc Ciceronis librum, sed hoc loco, ubi mox sermo erit de quodam inter hos duos viros habito certamine, cur supponitur Aristoteli Cicero? Credo equidem agi vel rursus de assimilandis Græcis et Latinis. Quibus primum aditus ad Græcos patuit, consilium natum est non sinere eos se consequi, nec quasi ab advenis arietati suos *Latinos* cogi relinquere. Haud inutilis fuit hic labor, nam lingua græca ejusque litteræ primum locum in studiis humanioribus obtinere non poterunt ante Humanismi occasum, et scimus nunc modo sæculo XIX dumtaxat in alium res iri versum.

Plura ut afferamus quæ hanc litem obtestentur non longinquius quam ipsum Brunum eamus oportet, qui postquam multas Plutarchi *Vitas Parallelas* e græco sermone interpretatus est⁹¹ duos quasi ipse *Παραλλήλους Βίους* conscripsit⁹²: *Novum Ciceronem* (1415) et *Vitam Aristotelis* (1429-1430). Ita pignus referitur quo dubitationem cunctam dissipemus: argumenta

⁸⁶ Quia philosophia præ omnibus præstat aut idcirco melius quod, omnia quum necesse oratori sit probe tenere in promptuque habere, non est cur respueretur philosophia.

⁸⁷ «Hoc mihi Latinis litteris inlustrandum putavi, non quia philosophia Græcis et litteris et doctoribus percipi non posset, sed meum semper iudicium fuit omnia nostros aut invenisse per se sapientius quam Græcos aut accepta ab illis fecisse meliora, quæ quidem digna statuissent, in quibus elaborarent.» Ciceronis *Tusculanarum Disputationum Liber Primus* 1.8-2.1.

⁸⁸ Ciceronis *Academica* I.8.2

⁸⁹ Ciceronis *Academica* II.119

⁹⁰ Bruni?

⁹¹ HANKINS (2002): Sertorii (1401), Marci Antonii (ante 1406), Pauli Æmilii (ante 1410), Catonis Uticensis (1407-1413), Gracchorum (1410), Demosthenis (1412), Regis Pyrrhi (1413).

⁹² Multa ac ingeniosa hac de re nobis obtulit Gary IANZITI (2012), *Writing History in Renaissance Italy: Leonardo Bruni and the Uses of the Past*.

quibus vitæ initio occumbebat non dereliquerit senior factus. Laudes seu convicia quibus cumulari merebat horum quisque — Aristoteles et Cicero, serius eadem conditione Dantem inspiciemus et Petrarcam (utrorumque enim scripsit *Vitas* anno 1436)— eum per reliquam longam ejus vitam occupabunt⁹³.

Querellas nec modo effundet dum in lutum captus ignaviâ volvitur. Namque sequens de *Cicerone* dicitur magnum vim habebit in futurum tempus. Rivi imaginem extendit, *flumine* igitur dicit philosophiam irrigatam esse. Hæc quo tendunt? Irrigare significat non modo ab interitu servare verum etiam curare ut vigeat. Nicolaus mente videtur conjicere philosophiam esse stabili quodam modo jam definitam, nec quicquid posse iri mutatum. Quis sic cogitat nunquam irrigare quasi gliscere intelleget sed potissime sicut florescere, idest proinde atque flos denuo qui singulo quoque anno aliusque et idem nascitur.

Fuit philosophia olim ex Græcia in Italiam a Cicerone traducta, atque aureo illo eloquentiæ flumine irrigata; erat in ejus libris quum omnis philosophiæ exposita ratio, tum singulæ philosophorum scholæ diligenter explicatæ. Quæ res, ut mihi quidem videtur, plurimum valebat ad studia hominum incendenda; ut enim quisque ad philosophiam accedebat, continuo sibi quos sequeretur proponebat, discebatque non solum sua tueri, sed etiam aliena refellere. Hinc Stoici, Academici, Peripatetici, Epicurei; hinc omnes inter eos contentiones dissensionesque nascebantur. Qui libri utinam nunc exstarent, nec maiorum nostrorum tanta fuisset ignavia!
[92]

Hi libri ii sunt quibus amissis doctrina non potest quin eat pessum. Ciceronis virtus in eo consistebat quod materiam hanc aggregaverat ac exposuerat. Quibus vel lectis potis disputatio fiebat — Nicolaus mente philosophiæ hortum fingit cujus participes sibi jam nota adversariis proponebant, quasi parum referret cui faverent dummodo scientiæ studio accenderentur. Nonnunquam hæc vera indoles fuit antiquorum philosophiæ, qua valide possimus hodie multa discere. Juxta ejus opinionem, philosophiæ studium ex his sedibus argumentorum consistebat, quas firme oportebat tenere ut cum aliis disputare quisquam possit. Tandem præ oculis habemus causam ærumnarum, veramque rationem qua Nicolaus illico a disputatione ad philosophiam progressus sit: non ei interest quendam librum definitum et ab omnibus acceptum habere in manibus, quem legat, quem doceat, quem aliis proponat exemplum. Quem si haberent, *nulla foret philosophia*. Est enim philosophia quasi

⁹³ IANZITI (idem) colorat: «The most common approach taken by recent criticism has been to read the *Lives* in relation to Bruni's *Dialogi*, written some thirty years earlier. There is a certain logic to this proposal. [...] And yet the *Lives* of 1436 have perhaps most often been measured by the degree to which they can be seen to represent continuity or change in respect to the ideas expressed much earlier in the *Dialogi*. Seldom have such critical investigations taken into consideration the issue [...]: the realization that a massive gap exists between the modes of expression chose in each of the two instances [scilicet *dialogi* et *biographiæ*].» P170-171

moles seu congeries omnium scholarum — «*Stoicorum, Academicorum, Peripateticorum*» vel etiam, quod quanto sit ingenio donatus demonstrat, «*Epicureorum*» (nondum tempora acta erant quibus de *cryptolucetianismo* loqui possumus, nec Poggius notissimum illud Lucretii volumen reppererat); non respuit hos ab omnibus damnatos nominare: quia intellegit eis esse opus ei, veras qui instruere avet in scænam disputationes.

Næ hæc si ita geruntur, non nos latebunt calcaria quæ in Leonardo adhibita effecerunt ut *Isagogicon Moralis Disciplinæ* scriberet. Id opus ad Aristotelem maxime accedit (potissimum ad *Ethicam Nicomacheam*), nempe Leonardus ubiubi scribit ab eo raro discedit, sed tamen curiose semper describendas curat alias philosophorum scholas⁹⁴. Hoc igitur pacto “librorum jactura” redintegrari poterit fortasse. Proh dolor, quid factum est?

illorum librorum magna pars interivit, hi vero, qui supersunt, adeo mendosi sint ut paulo ab interitu distent, quemadmodum nobis philosophiam hoc tempore discendam putas? [92]

Huicne agendi rationi probationem denegabimus? Si qui exstant libri pæne nulli sunt, et ne optimi quidem (scilicet Ciceronis) servati sunt. Nimirum appetent compendiarum ingredi viam, eisque qui desunt scribendis operam incumbere. Verus quem offendunt hæc cogitata obex in eis consistit hominibus qui nec novis credant neque veteribus esse libris necesse. Quo ulterius ingredimur magis in vitæ discrimen incidimus. Nam hic iterum profecto res agitur utrum nobis sit opus artibus renatis. Quod unum ex duobus satius sit necesse est: aut media ætas omnia quorum ad litteras posteritati tradendas indigebat sibi servaverat habebatque, et ergo nobis de *Renatis Artibus* scribentibus munus erit agnoscere (seu, quis scit, scribere) «*a monumental refutation of the Renaissance humanists' mythology that Latin literary culture was heroically recovered in the fifteenth century after centuries of darkness*»⁹⁵ — quod si verum est Nicolaus acerbitatis, ut aiunt, accusandus erit; aut, sin autem, istud recusantes consentiemus quidpiam — multum vel paucum — ejus inesse veritatis verbis, et multa, quæ ad doctrinam pertinebant, mediam ætatem latere sivisse, quod restitutores opperiebantur. Si quis forte dicat ita loqui non esse ponderis, meque nihil facere præter quæ constat proferre, facile redargam satisque ad id erit notare quantum habeant pondus ii qui his diebus impetum hos in homines impetum faciant seu in eorum litteras et linguam. Ipsos simias appellant, litteras farraginem, linguam sicarium qui linguas vernaculas a florendo arceret⁹⁶. At qui sunt a

⁹⁴ Verbi gratia *Isagogicon Moralis Disciplinæ* [208], reapse passim.

⁹⁵ BURROW (2013) P2

⁹⁶ Verbi gratia, JONSEN (2007) mirum in modum valet fere omnia interpretum vitia duobus lineis continere, «Once it had become more complicated to write Latin, the language became less useful for practical purposes. [...] To the extent that the movement had any effect, it may actually have been to accelerate the trend towards the abandonment of Latin and the shift to the national languages.» P148

quibus prohiberetur Nicolaus talesque alii quominus operam navarent in veterum textibus restituendis? Imprimis permulti illi qui proferant se posse jam doctrinam profiteri; scholasticos præcipue his verbis intendit.

At sunt permulti ejus scientiæ magistri qui se illam docturos esse pollicentur! O præclaros nostri temporis philosophos, siquidem ea docent, quæ ipsi nesciunt; quos ego nequeo satis mirari, quo pacto philosophiam didicerint, quum litteras ignorent; nam plures solæcismos quam verba faciunt quum loquuntur; itaque illos stertentes quam loquentes audire malletm. [94]

Indignas transiliamus voces recta quippe via ad rem progredientes. Dolet Nicolaus magnopere Latinitatem dum audit scholasticorum. Scimus eum in mente habere verba qualia adhibita sunt ut de *essentia*, de *quidditate*, de multis hujuscegeneris vocabulis quorum proprietas in ore hominum diu volitabit donec quidam attingatur finis ope illius inter Picum Mirandulensem et Ermolaum Barbarum controversiæ de Rhetorica et Philosophia (etsi multo diutius perrexit disputatio haberi, Petro illo Bembo principem locum obtinente ex eis qui huic Nicolai parti fovebunt⁹⁷).

Licet sæpe qui libenter talibus vocibus utuntur linguam latinam adhibentes eum hujus rei accusarent, quod quasi acerbitate ductus et supervacaneo quodam cogitandi modo, non sine ratione Nicolaus hisce vocabulis adversitur. Nam hac in re cum eo sto, si in lingua latina adhibenda modum quendam non servamus, ubi stateram pendat ad antiquos, hujus linguæ virtus ammittetur: erit duas linguas discere necesse, linguam latinam antiquam sed quoque “recentiorem”; non esset cur tantas vires effunderemus. Nisi igitur pro virili parte conabimur, quantum possimus, quo potius argumentum sinit, integram reddere linguam qualem veteres nobis eam tradidere, qui venient post nos nullam accipient hæreditatem, quam ipsi eis ignaviæ ergo perdiderimus.

Hos tamen si quis roget, cujus auctoritate ac præceptis in hac sua præclara sapientia nitantur: “Philosophi”, dicunt. Hoc autem quum dicunt, Aristotelis intelligi volunt. Atque quum quidpiam confirmare opus est, proferunt dicta in his libris quos Aristotelis esse dicunt: verba aspera, inepta, dissona, quæ cujusvis aures obtundere ac fatigare possent. Hæc dicit, inquit, Philosophus; huic contradicere nefas est, idemque apud illos valet et “ipse dixit” et veritas; quasi vero aut ille solum philosophus fuerit, aut ejus sententiæ ita fixæ sint, quasi eas Pythius Apollo ex sanctissimo adyto suo ediderit. [94]

Siquis Aristotelis justam possessionem agnoverit inter primarias hujus operis contentiones rem acu reapse tetigerit. Gestiat si velit Nicolaus quandocumque de hujus philosophi auctoritate agatur res, ubi primum ei liceat accuret ut eum iterum in suum sinum

⁹⁷ MCLAUGHLIN (1995) P249-278

adipiscatur. Quid tanti sit Aristoteles forsitan si quis quæreret scito saltem a sæculo XIII eum ingressum esse in Europæ scholas, præsertim in septentrionales (in Italiam magis difficulter aditum impetravit)⁹⁸, ubi mox sua auctoritate multa dogmata nixa in doctrinis sunt diu dominata⁹⁹. Qua via græcanici hi textus non semper facile intellegebantur: interpretationes tamen solitæ sunt haberi recta ex græco sermone in latinum, quæ nihilominus raro legi poterant absque magnis curis. Causa sunt vocabula et structuræ quibus interpretes usi sunt in vertendo, quæ quidem, quod ad vocabula spectat, nonnunquam nobis familiariora videntur quam humanistis seu interpretum æqualibus visa sunt. Assueverant enim quasi latinæ linguæ crebras voces aptare, instar *politicum* pro πολιτικόν, *epiichia* (prave) pro επιείκεια, *democratia* pro δημοκρατία.

Omnia hæc exempla sumpta sunt ex Leonardi Bruni opere *De interpretatione recta* [43 et 44], ubi olim Leonardus obviam his interpretibus ibit et de hoc interpretationis genere lapides loquetur, potius calculum adjiciens iis qui *ad sententiam* (id est, ipse Leonardus!) quam qui *ad verbum* transverterent textus. Contracte ut dicam, *ad sententiam* qui verteret ad totius sententiæ sensum spectabat et conabatur ejus sensum in latinum reddere; qui contra *ad verbum* singulum quodque græcum vocabulum inspicientes singulis latinis vocabulis ea vertere temptabant¹⁰⁰. Nimirum apud alteros multo sæpius verba græca nanciscamur, quum deberet semper idem vocabulorum numerus inveniri necque id facile possit nisi semper præsto haberet interpres latinum vocabulum — vel si ipse ex græco tale fingeret vocabulum.

Humanistæ quibus enixe lingua latina erat cordi vix æquo animo pati poterant has in romanorum linguam injurias; humanistæ qui inter paucos annos *De Interpretatione Recta* scripserint, ubi non modo de interpretatione verum etiam de proprietate verborum disputatur, et mox *Elegantias Linguæ Latinæ*, innumeraque alia hoc genus opera paraverint; humanistæ hi non poterant quin linguam quasi omnium hominum hæreditatem perire videntes supplicio darentur angerenturque. Itaque duo pugnarum genera nobis occurrunt, quæ quidem inter se conjunguntur. Quo vehementius Nicolaus sibi Aristotelem eripiat eo validius ei est in Aristotelis textus insectandum. Reipsa interpretes eorumque fautores taxandi causa potest perditam cire bella ob hæreditatem: indigni quidem sunt a quibus legatur Philosophi opus, qui eum non respectant.

⁹⁸ BRAMS (2004), *La riscoperta di Aristotele in Occidente* passim hæc magno cum acumine illustrat.

⁹⁹ Aliquibus locis nostrarum tempestatum tenus, quippe qui adhuc in tempore versamur quousque *legitima philosophia* Ecclesiæ Catholicæ “Aristotelica ac Thomista” sancita est.

¹⁰⁰ RICO (2011) et BOTLEY (2004) P41-62

Non hoc faciunt propter interpretationes falsas atque pravas¹⁰¹, nec vero ideo præcipue, sed propter usum quem erga eum observant. Juxta quæ ante dicta sunt, Nicolaus credit veterum philosophiæ verum pondus in eo consistere, quod diversarum scholarum varietas collidi possit. Antequam eum nostræ tempestatis *relativismi* accusemus, potius consideremus siquidem non satius ei tribuenda sit illa vis ζητήσεως, quæ a philosophis semper primas recepit jam inde a Socrate ad Leonem Strauss multosque alios usque deducens et, præ quadam doctrinâ *licet verâ*, habita est axis et peræque nux totius philosophandi moris.

Aristotelem igitur ita excutientes medius fidius eum quasi a suorum collegarum consortio apprehenderent et dum eum philosophorum principem coronant reapse medullam ei auferunt redduntque quasi prophetam — a quo nemo magis discrepat quam verus philosophus. Unum vocant *Philosophum*, sed si unus est philosophus nulla est philosophia.

Ceterum credo aliam adhuc accusationem eamque graviolem in Nicolai verbis latere, cui in præterita paragrapho annui, quum de prophetis. Jam antea testavimus, sed patet quantâ jactantiâ Nicolaum exæstimet scholasticos se gerere quum illud de Delphico oraculo usurpet simile. Jam hac in dissertatione copiose commemoravimus quam laboriosas humanistæ passi sint contentiones ut cujusdam redividi paganismi suspiciones refellerent, nedum atheismi. Nicolaus noster huic fortiter insudat, et cujusvis reprobationis fundamentum in antecessu pervertens ipsos scholasticos arguit quod palam animi commutent christianitatem: qui etenim facit ex philosophia theologiam, pro multis unum dumtaxat conservans, is facit, ex varietatis religione, unitatis. Apud Christianos uni *ipse dixit* tribuere licet, videlicet Deo; honorem hunc si reportat Aristoteli quipiam, oportet paganus vocetur seu polytheista. Mentio igitur hic de Pythio Apolline illata haudquaquam exoritur innocenter, quam vafer Nicolaus concitat ad suam causam corroborandam.

Curnam hoc faciat facile cuique erat intellectu: hunc post impensum impetum factum atque protervum, pedem revocat et prædâ potitur:

Nec ego nunc, mehercule, ista dico ut Aristotelem insecter, nec mihi cum illo sapientissimo homine bellum ullum est, sed cum istorum amentia; qui se tantum ignorantiae vitio obnoxii essent, illi quidem non laudandi, sed tamen in hac temporum conditione ferendi; nunc vero quum ignorantiae eorum tanta arrogantia juncta sit, ut se sapientes et appellent et existiment, quis eos æquo animo ferre possit? De quibus vide, Coluci, quid ego sentiam. Non puto illos ne minima quidem in re, quid Aristoteles senserit recte tenere, habeoque hujus rei gravissimum testem, quem tibi adducam. Quis iste? Idem qui linguæ latinæ parens est, Marcus Tullius Cicero,

¹⁰¹ Hodie non jam participes sumus ejusdem prorsus opinionis: haud raro agnoscimus in versionibus Gulielmi de Moerbeke, ut maximum afferam testem, arbitro nonnunquam fideliori obviamus quam humanistæ velint nobis persuadere.

cujus ego, Salute, ideo tria nomina profero ut ille in ore meo diutius obversetur: ita mihi dulcis est cibus. [94]

Non sine eironeia vocem *mehercule* profert, postquam illas de Apolline gerras in capitis fine posuit. *Mehercule*, sicut *medius fidus* multaue alia (*edepol* etc) ortum ducit a gentilium nominibus deorum, sed apud sine numero scriptores adhibetur simpliciter et inconsulto, vi religionis amissâ¹⁰², loco cujusdam interjectionis. Quomodo pro certo possumus habere item hoc factum esse? Nequitur, etsi verisimilius ultro non est. Sed gradatim hoc opus ammirari discimus, neque sumus tam parati, ut multa paucis verbis complectar, ad spernendum hujuscemodi subtilitates.

In brevem excursum mihi si incidere licet, fortasse tamen Nicolaum hoc in dialogo intricatum fugit quantum is ad hanc adversus scholasticos pugnam in procinctu positus sit ab ipso suo in hoc dialogo adversatore Coluccio Salutati. Is enim fuit, qui *Labores Herculis* scriberet. Quo in opere rationem reddit eis qui veteres poetas legere appetent simul atque vererentur ne nimis a fide christiana distarent (aut vel etiam fortasse eandem inconsulto oppugnarent). Ut hoc consequeretur gentilium poetas descripsit quasi nunquam vere se animo dedisse cultibus paganis, ideo scripsisse quodammodo in “divinitate vera” fultos¹⁰³; ita ut, palam verum Deum verendo, possint nunc tute a christianis legi atque excolli. Ergo Salutati gratia dei pagani, facti imagines Dei veri, christianis servantur — tempore labente hi conatus efficient ut homines experimentum facientes hinc in linguâ latinâ depuratâ illinc in ipso cultu eo ducantur ad vocandos antiquorum deos nominibus christianis et invicem; erit tempus Michaelangeli Buonarrotti et Petri Bembi, donec Ecclesia Reformata talia funditus calcaverit somnia.¹⁰⁴

Revertamur ad argumentum, ut ad finem rem deducat, Aristotele a scholasticis raptò, “adducit gravissimum testem” cujus “tria nomina profert”. Pro certo non possum habere utrum annon hæc verba nutus exter quidam sint ad quandam controversiam quam eo prorsus anno, 1406, habuerant Leonardus et Coluccius, ubi super nominibus cuique epistulæ ascribendis certatum est. Ita ponenti Leonardo oportere sibi vocari *Cecchium* (patre *Ceccho* nominato), Coluccius respondit hoc parum sensus habere, quum quotienscumque romanorum nomina

¹⁰² Quod nullo pacto est mirandum, quum sæpiuscule temere invocent homines vel athei *Deum* neque quicquid religionis isti insit rei.

¹⁰³ Jam Petrarca ad aliquid tale appropinquaverat; videte TRINKAUS (1979) capitulum secundum.

¹⁰⁴ Ad Petrum Bembum investigandum jam MCLAUGHLIN (1995) laudavi; ad Michaelangelum perquam probabilis mihi visa est incisio cujusdam contionis a VERDON (2009) facta nomine *Pagans in the Church: Raphael's "School of Athens" and Renaissance Cross-Cultural Dialogue*.

scribuntur nunquam secus fit quam semper forma brevis atque nominativa usurpetur. Ad argumentum conducit totum laudare locum:

*Nec intelligo, cur, quum dixerim: Leonardo Cecco, patri scribere videar et non tibi. Nam nomen paternum primo poni loco, secundo vero nomen ejus proprium, cui scribas, aliquo vellem exemplo doceri. Fatebor enim me nunquam, quum lego M. Tullius Cicero, discernere, quod sit nomen proprium Cicero, Tullius an Marcus.*¹⁰⁵

Non credo esse hic talem nexum offendisse longe esse petitem. Prout dicunt Angli: *tongue-in-cheek* de his cavillari penes ipsum qui quæstionem susceperit tractandam.

2.3.2. Coluccius fatue fatus.

«Recte tu quidem Nicolae» inquit Colucius; «neque enim Cicerone nostro quisquam omnium magis amandus est, magisque in deliciis habendus. Sed tamen quo in loco ista dicit? Non enim teneo.» [94]

Cur est hac interpellatione opus? In hisce operibus perpetuo intuemur laudationes quorum locus et origo non indicantur. In insequentibus paginis melius intellegemus quum de Ciceronis voluminibus et de recte tenendis libris quæ in promptu habentur disputetur. In præsentia tamen duo non prætereunda esse credo: Leonardus scriptor vult Nicolao occasionem præbere qua suam doctrinam perspicue ostendet; vult quoque monstrare Coluccium, quamvis et ultra dubitationem virum sapientem et eruditum valde, non omnia tenere neque nimio opere aliis excellere. Quam ob rem abs re non erit in dubium operis principium revocare, quum singuli quasi præsumptas induxerunt personas, Coluccius cum primis præsentium omnium magistri. Certe non agitur de discipulis qui magistro antecellent (neque Coluccius unquam Nicolaum docuit), sed de auctoritate fundamentis carente, quæ una est auctoritas si pollet, sed apage nisi valet — quia auctoritate ex eo pendet quod *careat sustentaculis*¹⁰⁶. Mox vero me nequaquam verba dare patebit, quum alter alterum eludere conabitur fincta de præstantia humiliatae usus — vel potius, quo accuratius dicam, non *figent* humiliatam, sed rhetorice loquentur, et verisimile est fallaciter alterum doctrinæ alterius de præstantia cedere. De his serius.

2.3.3. Nicolai Contio pergit.

«Est», inquit [Nicolaus], «hoc in principio Topicorum a Cicerone scriptum. Nam quum Trebatius jureconsultus cum quodam summo rhetore egisset, ut is sibi eorum locorum, qui ab

¹⁰⁵ SALUTATI, Epistula 21, anno 1406.

¹⁰⁶ MORGADO (2010) P13.

Aristotele expositi sunt, rationem explicaret, ille vero se hæc aristotelica ignorare respondisset, scripsit ad eum Cicero minime se admirari eum philosophum rhetori non esse cognitum, qui ab ipsis philosophis, præter admodum paucos, ignoraretur. [94-96]

Hoc nempe Nicolaus bene sciebat, quod tempestas qua Cicero floruerat mutata erat valde ab ea, qua ipse loquebatur et qua hi miseri scholastici Aristotelem profitebantur.¹⁰⁷ Sed licet ipsi Nicolao satis erit, aliquantulum altius in hunc spectemus locum, et nonnulla arcana nos officient, digna quæ interrogemus. Attente qui legerint profecto recordabuntur in conspectum miram illam disputandi rationem jam positam esse, qua de disputatione in philosophiam transiverit quasi eadem foret res, idemque valeret apud Nicolaum et philosophia et disputatio, quas disputatoribus participabat. Hæc igitur verba impedimur quin prætereamus, juxta quæ a *rhetore vetere* philosophus facile ignorabatur. Mirum in modum, hucusque erat hæc conclusio inaudita hoc in opere, quod ut provulgetur habet alia de causa ponderis, nam certiore nos iterum facit Leonardum non Ciceronis *De Oratore* operi inseruisse, ubi oratoris, hoc est rhetoris et philosophi conspirationes nonnunquam proclamabantur¹⁰⁸.

Nam eo tempore loquitur Cicero quum difficilius indocti homines quam nunc docti reperirentur: scimus enim nunquam magis quam Ciceronis tempore latinam linguam floruisse; et tamen loquitur ut supra exposuimus. Quem igitur philosophum ipsi philosophi, præter admodum paucos, eo tempore ignorabant, quo omnis ars omnisque doctrina florebat, quo doctorum hominum magna copia erat, quo omnes non minus græcas litteras quam latinas docti, eum in sua sede atque in suo sapore legebant, quem, inquam, tunc, quum ista omnia erant, ipsi philosophi præter admodum paucos ignorabant, eum in hoc tanto doctrinarum omnium naufragio, in hac tanta doctorum hominum penuria, isti nihil sapientes homines, quibus nedum græcæ, sed ne latinæ quidem litteræ satis cognitæ sunt, non ignorabant? [96]

Non indigne delineat tempora antiqua quæ ipsa ætas aurea haberetur (aurea, id est, saltem litteratis viris). Nostra refert quod hæc non sunt per ridiculum dicta (adeo ut Coluccium contitatura sint ad Nicolaum refellendum eumque magis sui ipsius compotem reddendum, quum dicet «*Tamen tunc, quum hæ artes florebant, non omnibus placebat ad cacumen evadere.*» [106]), sed potissimum fortasse est mentem vertamus sententiæ illi, «*scimus enim nunquam magis quam Ciceronis tempore latinam linguam floruisse.*». Si forte nostris temporibus hoc diceremus, nullum prorsus acciperemus responsum, adeo inter homines res constaret. Scimus

¹⁰⁷ BURKE (1968), in *The Renaissance Sense of the Past*, rem hanc, scilicet de hominibus tempus transiens oculatis et scite contemplantibus, alte indagat.

¹⁰⁸ Ciceronis *De Oratore* I.88, aut passim: multa argumenti in utramque argumenti partem dictantur.

enim in re publica et in imperio romano homines locutos esse linguâ latinâ, fortasse etiam nonnunquam *latine*, et post lapsum imperium linguam cœptam esse in alias mutari.

Secus arbitrabantur Bruni æquales¹⁰⁹, jam inde a Dante saltem, qui in priore sui *De vulgari eloquentia* libro argumentum ita disposuit ut linguam latinam non unius populi sermonem agnosceret sed quasi artificiosam quandam linguam, quæ præ ceteris emereret non propter alicujus civitatis præstantiam sed proptereaquod consentanea esset Rationi — quæ omnibus hominibus æque dispensata est¹¹⁰. Proh dolor rescimus res non ita se habuisse — idcirco enim sermo romanus ad tale fastigium ascendit, quod ditio romana suos fines dilatavit, et ea de causa cuidam regioni — Italiæ videlicet — propius accedebat (et potest fortasse dici adhuc accedere) quam ad linguam universarum gentium¹¹¹. Scimus porro Bruni in eadem stetisse sententia, habemus enim epistulam, cui ab Epistolarii editore Alexandro Fabricio descriptio hæc addita est, *Quæstionem, an vulgus & litterati eodem modo & idiomate Romæ locuti sint, discutit*. Qua in epistula Leonardus hoc profert iudicium:

*Quæstio nostra in eo consistit, quod tu apud veteres unum eundemque fuisse sermonem omnium putas, nec alium vulgarem, alium litteratum. Ego autem ut nunc est, sic etiam tunc distinctam fuisse vulgarem linguam a litterata existimo.*¹¹²

Nos igitur sine magna controversia asserere possumus hic non necessario versari circa quandam opinionis translationem a Leonardo Bruni, *Dialogorum* scriptore, usque ad Nicolaum

¹⁰⁹ O'ROURKE (2006?) P71-77.

¹¹⁰ Dantis *De Vulgari Eloquentia* I.9 «Si ergo per eandem gentem sermo variatur, ut dictum est, successive per tempora, nec stare ullo modo potest, necesse est ut disjunctim abmotimque morantibus varie varietur, ceu varie variantur mores et habitus, qui nec natura nec consortio confirmantur, sed humanis beneplacitis localique congruitate nascuntur. Hinc moti sunt inventores grammaticæ facultatis: quæ quidem grammatica nihil aliud est quam quædam inalterabilis locutionis identitas diversibus temporibus atque locis. Hæc quum de communi consensu multarum gentium fuerit regulata, nulli singulari arbitrio videtur obnoxia, et per consequens nec variabilis esse potest. Adinvenerunt ergo illam ne, propter variationem sermonis arbitrio singularium fluitantis, vel nullo modo vel saltim perfecte antiquorum attingeremus auctoritates et gesta, sive illorum quos a nobis locorum diversitas facit esse diversos.»

¹¹¹ Hanc ob rem occasus Dantis consilium de linguâ latinâ peperit infeliciores vias linguæ latinæ problema aggrediendi, in primis Laurentii Vallensis, cui in præfatione suis *Linguæ Latinæ Elegantis* appensâ eo ennititur ut populo Italico, nec omnibus populis, linguam latinam præparet. Quod optime haberet, quum omnes paratissimi egoque maxime ad agnoscendam linguam hanc Româ ortam esse et Italiæ honores tribuendos, nec vero multum illo studio patriæ delector, quod libens compescerem. Hac quidem in re, ut aiunt Itali, Dantis notio, quippe falsa, *era ben trovata*. De hac re videte pelliculam MIRAGLIA (2013) contionis Amstelodami habitæ *De causis corruptæ institutionis Latinæ*, quacum adeo consentio ut nihil addere velim, præcipue quum verba faciat de lingua latina cui erat quasi necesse moreretur ut fieret universalis immortalisque litterarum rei publicæ lingua.

¹¹² Epistolarium VI.8

nostrum, qui hujus operis personam agit; nam, ut prædictum, hoc est crebrum argumentum vulgatumque apud homines saltem ab illius Dantis ætate atque illis temporibus maxima præpollens. Verum enimvero credere non valeo parvum numerum eorum lectorum, qui hos libros lectitabant, manu diurna nocturnaue Dantis evolvisse opera, quin immo potius eis proponebantur *Dialogi* — neque a lectoribus convicia in Dantem, Petrarcam, Boccacium, quæ in hujusce operis fine inveniuntur, acciperentur eâ quæ intendebatur vehementiâ. Quod quum ita sit, non possum quin eo adducar ut credam his verbis lectis eorum signifer lectori occurreret Dantes. Quid ita est nobis cogitandum, qui eum intuemur tum coram laudatum tum objurgatum¹¹³? Res supra modum mira, etenim Nicolaus idem est, cui Dantis doctrina prosit, et qui serius sit eundem Dantem, scilicet *primam coronam*, tam acriter feriturus.

Quorsum hæc? Quicquid sub *humanismi* intellegamus nomine, memoriâ tamen oportet condamus Nicolao in sua contione minus esse antiquius adversus recentissima hæc sua tempora pugnare quam ut antiquis hominibus eorumque sapientiæ latera claudat, ut æqualibus suis efficiatur necessarium ad antiquos adire, si quidem docti fieri avent. Discrimen igitur, ut quum de “librorum jactura” disserui, est ingens: altera via ad *Renatas Artes*, altera ad *Romantismum* portat; equidem desperarem, si foret opus palam facere alterutri meum iudicium ferre velim. Nimirum igitur, quod Nicolaus huic cogitandi modo sese dederit, qui linguam exstitisse crediderit quasi supra omnia tempora, id est, *extra omnia tempora* — nam, si linguam latinam jam semper artificiosam condicatur, multo facilius redintegrari possit, recentioraque tempora castigari, quam si aliter. Dum creditur aliquid exstare sempiternum — seu saltem immutabile — facilius ad quoddam omnibus commune patrimonium possint res deduci. Satis erit, ut antea, iterum scribere libros, satis erit auctores in quibusdam caveis situ opertos iterum in lucem extrudere. Eodem accedit lingua lingua: quæ, si consentanea est rationi, et si una et consentienti voce christiani (juxta Genesin) et pagani (juxta Aristotelem multosque alios) sunt ratione cælitus donati, virtuteque data possit lingua redimi. Unde colligitur nihil esse minus umbraticum et philologicum (indigno hujus verbi sensu) quam hæc de linguæ antiquitate quæstio¹¹⁴. Quod acerbius, si res ita se habent ceu Dantes descriperat, Nicolaus iterum ansam rapere poterit ut scholasticos contemnat, qui linguarum quasi εἶδος conservare non potis fuerunt.

¹¹³ Objurgationisque origo, mox videbimus, prorsus ex eo constabit quod rerum fuerit atque doctrinarum imperitus homo.

¹¹⁴ Nosmetipsi recentioribus temporibus facti omnibus in rebus tam sapientes difficulter credere possumus tantam doctrinam in tantam caliginem perditum ivisse. Sed si excludimus delineamenta præsertim Pompejanis parietinis inventa, quæ quidem illa tempestate nondum effossa erant, ingenio magno valde Leonardus omnia argumenta ad suam opinionem versus allata in illa jam laudata epistula (VI.8) apprime coarguit.

Nec vero cassa dicimus, quibus Nicolaum laudibus honestemus. Si tantopere cum Dante consentit, quid audet ita vehementur, ut facturus est, in eum invehit?¹¹⁵ De his fusius quum ad Dantem transeamus, quoad perveniamus ultimum in Aristotelis assecclas impetum subire necesse habemus.

Si quis eos ad Aristotelem ipsum deferat, non magis ille suos esse cognoscat quam Actæonem illum, qui ex homine in cervum conversus est, canes suæ cognoverint. Nam studiosum eloquentiæ fuisse Aristotelem atque incredibili quadam cum suavitate scripsisse, Ciceronis sententia est. Nunc vero hos Aristotelis libros, si tamen eos Aristotelis esse putandum est, et molestos in legendo et absonos videmus, tantaque obscuritate perplexos, ut præter Sybillam aut Ædipodem nemo intelligat. [96-98]

Non hic prima occasione contentiones id genus captavit, nam aliquid simile ante Colucci intercapedinem jam dixerat. Ad argumentum tamen conducet, quo propius has duas, in quibus hic vir versatur, provincias conspiciamus, locum ex quadam Leonardi epistula excerptum referre, quem Alexander Fabricius appellavit 'Quod Aristoteles eloquens fuerit, & male à linguarum imperitis latinitate donatus sit':

Sed tamen Cicero vir acerrimi iudicii summus ipse orator suavitatem, & copiam, & omnia scribendi ornamenta Aristoteli tribuit, flumenque aureum illius scripta appellat. Ex quo magis translatoribus indisertis irasci soleo, quod hujus Philosophi libros admirabili facundia, suavitateque in græco scriptos, tam absone nobis converterunt. Sed non sunt illi Aristotelis libri, nec si vivat ipse, suos esse velit, sed meræ conversorum ineptiæ. Ille enim & politissimus scriptor esse voluit, & quod voluit curavit, & quod curavit, assecutus est.¹¹⁶

Duo dumtaxat hic dicenda, quorum prius animadvertendum est me per cunctam hanc dissertationem rationem scribendi cujusque textus ad universalem quandam legibiliorem aptasse, nec vero quidquam aliud mutavisse. Litteræ capitales ab editoribus adduntur singularum editionum (hac quidem occasione, Alberti Fabrici). Est factum quasi academicus

¹¹⁵ Sicut dicit QUINT (1985): «The temptation to read the *Dialogues* as Bruni's intellectual biography-in-the-making may be nearly irresistible [hoc sibi vult, transitus a priore ad alteram partem, ab odio efferro erga linguam vulgarem ad cursum linguæ italiacæ una cum latina recuperandum]. It is all the more enhanced by the prospect of saving Dante and Petrarch from the humanists and, at the same time, of saving the humanists from themselves. [...] How could one respect, much less wish to study men who had cast aspersions upon Father Dante? [...] The *Dialogues* might appear much more attractive as a vindication of the great *volgare* writers, placing humanism safely back inside the Italian national tradition. This comforting picture, however, disappears or is at least greatly complicated if Niccoli's recantation [in operis parte altera inde a pagina (126)] is taken to be less than genuine and complete, if the second dialogue does not, in fact, reconcile the conflicting positions put forward in the first.» P430

¹¹⁶ IV.16 146-147 in editione Fabriciana, 139 in Mehi.

mos in Universitatibus Studiorum antonomasiâ abuti, et semper erga novos modos appellandi homines gestire. Aristoteles est frequentatissime *Philosophus*, hereditas qua sumus a scholasticis ornati. Qua de causa, si quis illud “*hujus Philosophi*”, quod supra scriptum est, legerit, Leonardum Bruni idem fecisse credet — quod utrumne fecerit an non, aperta manet quæstio, tamen lector impediti non potest quominus in errorem inducatur: verumtamen si recte sum locutus, emphasis est potius in vocabulo *hujus* (ut sit unus inter multos) quam in *Philosophi* (quasi omnibus antecelleret itaque vocari mereret).

Sed altera exstat res perscrutanda maioris profecto ponderis, scilicet de hac sententia «*Ille enim & politissimus scriptor esse voluit, & quod voluit curavit, & quod curavit, assecutus est.*» Ante omnia confiteri debemus Leonardum illo loco omnino abs re haudquaquam locutum esse. Possumus ei saltem duo prima concedere: namque is qui vult esse politissimus, est plerumque consequens fore ut concinnitatem eloqui curet nitoremque. Minus tamen veri simile ducimus illum, quam appetebat facundiam, eam necessario assecuturum esse. Hoc quidem non aliter explicari potest nisi nimio Antiquitatis studio. Quod si iudicio falli nolumus debemus rem interpretari utpote testimonium earum rerum quæ jam expositæ sunt: ii omnia habebant quibus recens tempus indigeret, videlicet magistros, libros, otium. Quæ ingenio conjuncta non possunt quin prospere eveniant. Unde vel satius intellegitur cur circa sterilitatem caput hoc auspicatus sim: Nicolaus sterilis erit in æternum, quod significat eum nunquam operæ pretium esse arbitraturum nova opera scribere, quoniam ea opinione est ut putet opera a veteribus scripta et scriptoribus et lectoribus omnino satisfacere, opera dico quibus recentiores homines omnimodas facultates sibi comparare possint, immo etiam facultates, quæ appetuntur, impetrandi. Cur talis homo suis æqualibus unquam causaretur, quod aliquid novi effinxerint, siquidem persuasum habebat ad cacumina olim jam ventum esse? Fortasse possint eadem quæ dudum scripta erant rescribi, multo autem facilius erat antiqua consecrari — hæc est causa qua Nicolaus Niccoli nostra tempestate habetur inter primos et summi momenti *bibliothecarios*¹¹⁷ qui unquam fuere, cujus spolio radices sunt actæ ac fundamenta Bibliothecæ Mediceæ, qua sæculorum XV et XVI enutriti complures sunt humanistæ.

Hic vero forsitan interroget aliquis, quo sim has modo quisquilias deducturus. Nunc quidem ad puta cardinem totius theseos fortasse pervenimus, nam spernar ab omnibus licet nonnulla sunt inquirenda. Prætereamus præjudicatam opinionem — nemo est qui verbum *sterile* audiendo non percellatur — quo advenimus? Nicolaus munus istud grande a reliquis

¹¹⁷ GORDAN (1991).

humanistis impartiebatur, quod sterilitatis¹¹⁸ exemplar factum est (etsi tales gestus haud multoties impediverint quominus ejus æquales ejusdem accusentur sceleris Vatiniani¹¹⁹). Sed, ut solitum est, nescio an non perscrutari expediat quid vere sit hæc sterilitas. Quæ quidem, inquam, nihil aliud significat nisi pro nihilo ducere libros et scripta eo consilio multiplicare, ut singuli “se ipsos exprimere” possint (ut Politiani verbis utar, qui post paucos annos ita loquetur apud primitias illius “ciceronianismi” controversiæ). Nostra ætate sumus omnes hac re assueti, idest nobis nunquam non bonum videtur. Fortasse tamen *quoque* hac in re Burckhardt apprime naturam morbi nostri discrevit, quum ortus *individuum* in Ætate Renatarum Artium posuit principium. Hinc habet Romantismus primitias, eoque vehemur. Hæc est causa cur eum *sterilem* neque *cautum* vocemus — aut summo timidum et meticulosum. Profecto non dico servitutem id genus esse ad cælum tollendam; certo non est. Nihilominus stoicâ quadam cogitatione raptus autumo nescioquid pulchri homini inesse, qui id plane recusat quod cui omnes penitus vires effundent suas ut corroborent: amor sui, quod græce φιλαυτία.

Num Nicolaus, Leonardus, et alii Manuelem Chrysoloram sterilem vocant? Qui omnino non fertur quodlibet aliud opus scripsisse præter minimum illud *Ερωτημάτων*; nec ea de causa concivibus parum profuisse suis. Quod quidem non facile quoddam atque pervulgatum exemplum est, quum adamantinis rationibus probet partim debere ipsi *sterilitati* concedere,

¹¹⁸ Perplurima possim alia adducere exempla, sed ad hoc sufficiat, «[Leon Battista Alberti] concludes [*the Intercænales*] by claiming that he prefers to be one who tries to contribute something different rather than standing in idle admiration of the past. Again, this motif, found in many of Alberti's works, may have as its target the fastidious, but unproductive Niccoli. The proem to *Incercænales II* contains a fable about Pan's most beautiful antique pipes being unable to produce any sound, while his most rustic pipes gave out 'claram et festivissimam vocem' (p127). Alberti's Latin is clearly associated with the latter, while the alternative of silent contemplation of precious antiques smacks of Niccoli's approach: 'antiquius ad laudem ducimus posse vel ipsos rusticos in triviis ad saltum et festivitatem puerili hoc nostro et inelmato dicendi genere movere, quam infinitis ornamentis comparandis per silentium consenescere.'» MCLAUGHLIN (1995) P153-154

¹¹⁹ «The Latin of men like Salutati and Petrarch could never be mistaken for classical prose; the Latin of humanists like Bruni and his generation is an almost perfect copy. Partly because he possesses this facility, Bruni displays little originality as he seeks to produce a genuine antique. Hence his many works which require no *inventio*: the translations, the compilations based on Xenophon, Procopius, and Polybius, the historical works, the commentaries, and the biographies.» Idem P95. Huic dissertationi est scopus hæc refutare. Sed vel si vera forent, memorandum esset illud Burckhardt (1860), «Das Jahrhundert, welches dem Mittelalter entrann, bedurfte in vielen einzelnen Fragen moralischer und philosophischer Natur einer speziellen Vermittlung zwischen sich und dem Altertum, und diese Stelle nahmen nun die Traktat- und Dialogschreiber ein. Vieles, was uns in ihren Schriften als Gemeinplatz erscheint, war für sie und ihre Zeitgenossen eine mühsam neu errungene Anschauung von Dingen, über welche man sich seit dem Altertum noch nicht wieder ausgesprochen hatte.» P135, idemque illud Arendt (1960), quod capitis initio infingitur («The discovery of antiquity in the Renaissance...» κτλ).

qua pulsa timeo ne multum adhuc nobis auferatur emolumentum. Quum nostræ tempestatis cursum honoris facilius scandit, qui multum eddiderit, hoc est crimen ab hujuscegeneris argumentis adversus Nicolaum conjectum. Idola *quantitatis*.

Quantum est in me iudicii, si qua est sapientia veterum, quam Nicolaus intellexerit, eam pertinere credo ad res lentius agendas. Cur foret liber scribendus, qui jam exstaret? Accuratus discemus a sapientia tradita, non eapropter quod sit tradita, sed quia præteritis temporibus jam functa est, cujus rei habemus testem. Sæculo XXI hoc multo rarius contingit, tot novis doctrinis continue germinantibus, sed in eis quæ ad morum philosophiam, ad civilem scientiam, fortasse beneegerit qui irritamenta removeret et frenans compesceret fervidos animos. Bene. Sed sicut ait ipse Nicolaus, «*Satis multa de philosophia.*» Progrediamur nunc ad dialecticam.

Quid autem de dialectica, quæ una ars ad disputandum pernecessaria est? An ea florens regnum obtinet, neque hoc ignorantie bello callamitatem ulla perpessa est? Minime vero. Nam etiam illa barbaria, quæ trans oceanum habitat, in illam impetum fecit. At quæ gentes, dii boni? Quorum etiam nomina perhorresco: Farabrich, Buser, Occam, alique ejusmodi, qui omnes mihi videntur a Rhadamantis cohorte traxisse cognomina. Et quid est, Colucci, ut hæc joca omittam, quid est, inquam, in dialectica quod non britannicis sophismatibus conturbatum sit? Quid quod non ab illa vetere et vera disputandi via separatum et ad ineptias levitatesque traductum? [98]

Fortasse sunt hæ lineæ in toto Nicolai eloquio infoelicissimæ, et nulla alia de causa magis eum taxandum censeo quam hac. Quod tamen præteriremus, si ageretur modo de nimio quasi nostratum artium studio. Demum vero, quum scholasticorum ita oblitiscatur et sese absteineat ab iis nominandis, nullo modo excusari potest. Sed ut mos est Leonardi Bruni, aliquid altius stultis his jocis inest quam mera Nicolai morositas. Quemadmodum enim conspicimus apud Dantem, cui quilibet lector argumentum de lingua a Nicolao propositum attribueret, item hac occasione fieret, nec vero ad Dantem accederet sed ad Petrarcam, cujus quidem fastidium in scholasticos omnium sermone vulgatur et qui lites hoc genus jam pridem exposcerat. Fama notum est quanto Petrarca in studio patriæ Italicæ nonnunquam fulciretur¹²⁰; illuc aliud accedit, scilicet me quandam epistolam invenisse, unde parum cunctorum dinoscere has Nicolai cavillationes et impetus erga philosophos Britannos originem ducere:

Immo vero jam insularum peculiare malum est, si dialecticorum agmini britannico ethnea nunc novorum Cyclopum acies accesserit. Hoccine est quod in Cosmographia Pomponii legeram, Siciliæ maxime similem esse Britanniam? Ego quidem putabam similitudinem hanc in terrarum situ ac prope triangulari utriusque specie et fortasse etiam in circumfusi maris perpetua

¹²⁰ Quod fortasse nusquam melius apparet quam in *Epistula contra eum qui maledixit Italiæ* (1373), licet illic de Gallo neque de Britanno agatur.

*collisione consistere; nichil de dialecticis cogitabam. Audieram Cyclopas primum, postea tyrannos, utrosque feroces incolas; tertium monstri genus advenisse non noveram, armatum enthymemate bisacuto et ipso Taurominitanii litoris fervore procacius.*¹²¹

Adde quod huic epistolæ talis additur titulus: 'Ad Thomam Messanensem, contra senes dyaeticos.' Mihi videtur procul dubio hic nexum latere inter Petrarcam et Nicolaum, quod ample omnia dispensat ut ultima Nicolai verba intus jam corruant. Quod tamen non faciemus, quin prius ad finem Nicolai orationis aciem convertamus nostram. Inopinata vero cum arte, eaque magna, mihi videtur Leonardus hanc operis partem scripsisse, et, quo magis miramur, non sine salibus et subtilitate. Quid multis? Ad perficiendum paratus presse et enucleate, perorationis genere, nodos resolvere conatur:

Possum hæc eadem de grammatica arte, hæc eadem de rhetorica, hæc eadem de reliquis fere omnibus dicere; sed nolo esse verbosus in his rebus probandis, quæ manifestissimæ sunt. Quid enim causæ dicemus esse, Coluci, quod his tot jam annis nemo inventus sit, qui aliquam præstantiam in his rebus habuerit? Neque enim hominibus ingenia desunt, neque discendi voluntas; sed sunt, ut opinor, hac perturbatione scientiarum desiderationeque librorum omnes viæ addiscendi præclusæ, ut etiam si quis exsistat maxime ingenio validus maximeque discendi cupidus, tamen, rerum difficultate impeditus, eo quo cupiat pervenire non possit. Non enim potest quisquam sine doctrina, sine magistris, sine libris aliquid excellens in studiis suis ostendere. [96]

Nemo est qui his verbis lectis stuperet, hîc si forte terminus positus esset. Sed possumus pæne mente fingere Niccolaum hoc dicentem et erubescens — Ain vero? — quum talia coram Coluccio diceret. Velit nolit se præstare posse magistro doctrinâ, auctoritate adhuc Collucius eum discipulum longe superat. Hac vero in re cavendum est ne opinione fallamur, neque ullus lector unquam adeo curiosus erit, qui hæc pro serio dictis accipiat; vero ne Coluccium quidem latuit Nicolaum blanditiis usum esse, nam nemo est tam stolidus qui illis querimoniis auditis nihil suspicaretur quum verba hoc genus auscultaret:

¹²¹ Petrarçæ *Epistolæ Familiæ* 1.7. Jugiterque adumbrat quæ super Aristotele fortasse Nicolaus quoque æmulatus sit, «Unum sane et ego pridem animadverteram et tu nunc admones: eos sectam suam aristotelici nominis splendore protegere; dicunt enim Aristotelem ita solitum disputare. Est, fateor, qualisqualis excusatio, clarorum ducum inhæsisse vestigiis; nam et Marcus Tullius "non invitum" se cum Platone, si oporteat, "erraturum" dicit. Sed falluntur. Aristoteles enim, vir ardentis ingenii, de rebus altissimis vicissim et disputabat et scribebat; alioquin, unde hujus tam multa volumina summo studio et tantis exhausta vigiliis, inter multorum et præsertim illius fortunati discipuli graves occupationes, et in ætate non longa? Siquidem circa illum apud scriptores infamem, tertium scilicet et sexagesimum vitæ annum defunctum accepimus. Isti autem cur a duce suo tam diversi abeunt? Cur, quæso, aristotelicos dici juvat et non potius pudet?»

Quamquam ego, Salutate, jamdudum hac de re non sine rubore loquor: tu enim orationem meam praesentia tua refellere ac labefactare videris, qui profecto is es, qui sapientia atque eloquentia veteres illos, quos tantopere admirari solemus, vel anteiveris vel certe adaequaveris. Sed dicam quod sentio de te, nec mehercule assentandi gratia. Tu mihi videris isto tuo praestantissimo ingenio ac pæne divino, etiam his rebus deficientibus, sine quibus alii non possunt, hæc assequi potuisse. Itaque tu unus mihi sis ab hoc sermone exceptus; de aliis loquamur, quos communis natura produxit. [98-100]

Videtur hoc loco mentiri, ut patrio meo sermone dicitur, *com quantos dentes tem*. Sed fortasse proderit ad Ciceronis opus *de Oratore* confugere, ubi pæne eadem de Antonio dicuntur,

Antoni incredibilis quædam et prope singularis et divina vis ingeni videtur, etiam si hac scientia juris nudata sit, posse se facile ceteris armis prudentiæ tueri atque defendere; quam ob rem hic nobis sit exceptus; ceteros vero non dubitabo primum inertiae condemnare sententia mea, post etiam impudentiæ.¹²²

Demum non ita rectâ, ut prædicat QUINT (1985), «*What complicates Bruni's imitation is that while, in terms of the plot and structure of Cicero's work, Niccoli's praise of Salutati recalls the praise of Crassus, the orator whose art is based on profound learning and philosophy, Niccoli's actual words are modeled instead on those which Crassus later used to reciprocate with the praise of Antonius, the sophistic orator who can speak as the occasion demands without the benefit of doctrine.*» (P434) In cunctis, possumus hæc bifariam interpretari: hinc enim verba Nicolai illecebris exæquare possumus; illinc aut Quint secuti, id credere quod «*this same genius may also allow him to remain unaware of these deficiencies.*» (P433)

Ideo mihi credibilior videtur altera interpretatio ut eam mihi sumam. Nam sumptâ efficitur conspiratio inter has et partes jam præteritas, locupletiusque redditur opus (quod quum evenit rarer non est obrussa ad interpretationem, rectane quæ sit, inter plures agnoscendam): supra hanc rem nihil cernere potest, sicut naturâ cæcus concives suos qui nequirent intellegere propter lumina deficientia querentes, ita Coluccium, cui nulla opem ferunt libri magistrive, temporum omnis præterit caries et corruptelæ. Mirum autem in modum, qui ita aliene in vita vagatur, vicem auxilium ferendi, modo communi hominum societati inutilior fit. Sic, ope illius fallaciæ argumentorum quæ a “puteo inficiendo” nomen capit, quasi ex abrupto laus est facta contumeliosa.

Incidit nunc hilare id quod ominabar. Quid igitur præsentit Nicolaus? Debet iterum concludere, quod ut faciam prorsus eadem iterat, quæ jam dixerat, quum in eo erat ut epilogum aperiret. Quoque versus dimicans suam dilaniat oratiunculam. Horsum adducta erunt plura de libris perditis, quod Nicolaum eum reddent, qui se totum dabit illis

¹²² Ciceronis *De Oratore* 1.173

mediævalibus versuum rationibus quæ *Ubi sunt* repetebant. Itaque factus novus Bernardus Clunicensis, ita lamentatur:

Ubi sunt M. Varronis libri, qui vel soli facere possent sapientes, in quibus erat linguæ latinæ explicatio, rerum humanarum divinarumque cognitio, omnis sapientiæ ratio omnisque doctrina? Ubi T. Livii historiæ? Ubi Sallustii? Ubi Plinii? Ubi innumerabilium aliorum? Ubi Ciceronis complura volumina? O miseram atque inopem conditionem horum temporum! Dies me profecto deficiet, si velim nomina eorum referre quibus ætas nostra orbata est. [100]

Vereor comperire utrum magis jocorum an potius misericordiæ materia sit mihi inde sumenda. In omnibus fere clausulis aliquid inest animadversione dignum. Tria exempla afferre juvabit: primum hoc est, quod non tantum dolorem quam risum excitat is, qui Varronis libros ea de causa flet, quod soli linguæ latinæ arcana denotare possent, dum ipse splendido atque latinissimo utitur orationis genere.¹²³ (Neque hoc Coluccium latebit, idemque argumentum promit ut Nicolai verba confutet); dein, verborum junctura, quæ est «*rerum humanarum divinarumque*», quum apud Ciceronem frequentissime adhibita sit¹²⁴, dum laudatur ostendit Nicolaum non tam doctrinâ esse expertem quam talem haberi voluisse; postremo Nicolaus negat sibi quidquam temporis esse ad nomina referenda, postquam tamen duabus lineis nobis «nomina nuda» largitus est, quæ ipse procul dubio solet lectitare. Attamen equidem non ex quodam oraculo hæc exhaurio, sed ex ipsissimis Nicolai verbis interpretandis cogitata sumuntur. Neque enim Coluccius sed *ipse Nicolaus* ita «*ardentis ingenii*» esse debuit, ut absque libris et magistris quæ tenet didicerit. Unde hæc deprehendere poterimus? Non a Nicolao sed a Leonardo Bruni. Is est, verus qui ardente pollet ingenio. Nam si posthac verba illius Quint commemorabimus, «*Niccoli's praise of Salutati recalls the praise of Crassus, the orator whose art is based on profound learning and philosophy, Niccoli's actual words are modeled instead on those which Crassus later used to reciprocate with the praise of Antonius*», cogitatione atque mente complectabimur tertium exstare gradum in hac serie, præter duos a Quint agnitos: forma laudationis revocat Crassum; ipsissima verba Antonium; verborum vero *vis et effectus* eos in unum conglutinat, et eâ rê solo æquat cunctum Nicolai appetitum.

At cur? — roget quispiam — quorsum trudemur? Non erit difficile respondere, nam, si recta vere repperi, Nicolaus confiteri cogetur exstare complusculos libros quorum auxilio eadem doctrina, quam sibi adeptus est, impetrari possit (quod sufficit ne velit cum sequentibus Collucii sententiis consentire). Hoc manifestum in *Dialogis* legere non est, ne in

¹²³ Etiam atque etiam laudare audeo MCLAUGHLIN (1995) «The Latin of men like Salutati and Petrarch could never be mistaken for classical prose; the Latin of humanists like Bruni and his generation is an almost perfect copy.» P95

¹²⁴ Fortasse notissime apud *Tusculanas Disputationes* 5.7, sed nostra potius interest *De oratore* 1.212: «Philosophi denique ipsius, qui de sua vi ac sapientia unus omnia pæne profitetur, est tamen quædam descriptio, ut is, qui studeat omnium rerum divinarum atque humanarum vim naturam causasque nosse et omnem bene vivendi rationem tenere et persequi, nomine hoc appelletur.»

altera quidem eorum parte. Tamen persuasum habeo nos posse hoc inferre, quia propius accedit ad illud Nicolai iudicium, quod nobis suis verbis indicaverat: melius ejus menti respondet credere aliquos antiquos libros superstites prodesse posse, quam credere eosdem libros, quamvis superfuerint, eam facultatem amisisse. Nec vero propter hunc consensum antiqui auctores ex studiorum curriculis pellendi sunt aut superandi, quandoquidem firmum maneat prædictum illud iudicium (quod, fortunâ rotundâ, est prorsus idem atque clarum præceptum illius Occkam legis, quæ Novacula appellari solet): 'entia (hic, libri) non sunt multiplicanda præter necessitatem'. Sane non prætereundi neque spernendi sunt, qui ex recentioribus lauream appetant, attamen via, quamvis angustissima, jam patet ad doctrinam impetrandam. Ut intellegamus scriptoris ingenium complectemur sunt nobis larvæ ejus personarum eripiendæ; ut denique intellegamus scriptorem sicut is seipsum intellexit debemus "intellegere ejus personas melius quam ipsæ seipsas intellegunt"¹²⁵. Qualequale de his iudicium feretur, utrum meus agendi modus sit approbandus an non, quisque ex his iudicet, quæ nunc referemus.

Et tu, Colucii, in tantis rerum angustiis, si non linguam in disputando velut flabellum agitemus, te nobis subirasci dicis. Nonne accepimus Pythagoram illum, cujus magnum est apud omnes gentes in sapientia nomen, in primis hoc præceptum auditoribus suis tradere solitum, ut quinquennale silentium agerent? Recte quidem: nihil enim putabat homo sapientissimus minus decere, quam de his rebus homines disputare quas non probe tenerent. Atque illi, Pythagoram philosophorum principem magistrum habentes, hoc non sine laude faciebant: nos, magistris, doctrinis, libris nudati, hoc sine reprehensione facere non poterimus? [100]

Nicolaus jam tot circulis argumentationis confectus demum ultima verba profert, quæ quidem uti solitumst sunt arte ornata maximâ et ancipitia valde. Quem ad finem hæc de flabello? Flabello enim ad concitandum utimur et ventilandum, cujus sensus proprietatis certiores esse possumus deprehendentes hanc *linguæ-flabelli* commissuram a quadam Ciceronis sententia ortum ducere¹²⁶, ubi ita ut descripsi adhibetur. Itaque prohibemur quin sensus hos altiores prætereamus: est enim flabellum quod ignem conflat; et Nicolaus videtur non multum curare, aut vere eo consilio abnuere, ut alios incendat ad disputationibus insudandum (quod est præterea quasi totius operis causa et origo). Sed ne nos fallere lateat vetemus obsecro oportet, animumque igitur intendamus illius verbi formæ conjunctivæ. Juxta grammaticæ latinæ præcepta, quæ semotis omnibus de Varrone nugis firmiter confidere possimus Nicolaum tenere, non erat illic conjunctivo opus: apte quadrateque, immo vel melius si Coluccio se toto dare cupiret, «si non linguam in disputando velut flabellum agitamus».

¹²⁵ STRAUSS (1953). P57.

¹²⁶ «Usque adeo orba fuit ab optimatibus illa contio ut princeps principum esset Mæandrius; cujus *lingua quasi flabello seditionis* illa tum est egentium contio ventilata.» *Pro Flacco* 54-55.

Sententiæ enim conditionales ita funguntur, ut si aliquid volumus ostendere verum, indicativo modo est nobis utendum; e contrario si rem obscuram reddaturi sumus, conjunctivo. Ergo pro certo possumus habere Nicolaum *scire* fore ut nonnulorum animos concitet ad disputationes. Quod insequentibus confirmatur, quum exemplum attrahat Pythagoram. Tunc vero quid narrat de Pythagora? Eum “philosophorum principem” vocat, qua appellatione scholasticos licet leniter vellicat, quibus Aristoteles unus possit ita vocari. Revera si postmodum desideraret spem omnem tollere nova opera doctrinamque augendi, facile possit illum pythagoreorum morem describere, secundum quem erant quos fata ducebant ad *audiendum*, quorum quisquis vix unquam ex illa conditione exhibat (itaque fere nunquam, qui auditores incipiebant, poterant velamen transire, neve ipsi loqui coram discipulos futuros). Verum enimvero, si Nicolaus omnes suæ ætatis prohibere studebat, quominus suas vires in scribendo experirentur, narravisset proculdubio alterum illum morem, quem exposui, potius quam hanc præsentem fabulam narrare. Quæ quidem fabula, quæ nostris auribus perquam Horatium redolet, scripturientes docet moram servare quinquennalem, quæ mihi nimis severum imperium minime videtur imperium. Opus fuit primam rerum excutere faciem ut, fucis figmentisque remotis, melius propositum nostrum conspiceremus. Quo facto dicere possumus Nicolaum litteras rarecere voluisse, tamnullo modo abolere.

2.4 Colloquium commune.

Usus principiumque erimus...

Giordanno Bruno

Hæc cum Nicolaus dixisset magnaque esset omnium attentione auditus, paulo silentium factum est. Tum Salutatus eum intuens: «Næ tu, inquit, Nicolae, fuisti in resistendo tam fortis, in disserendo tam gravis! Enimvero, ut est apud poetam nostrum, plus aliquid eras quam rebar... [102]

Ad scænam aptissimus locus. Verba est opus per magnam dicantur quietem. Fortis fuit, et impetus retinuit: ἀξιός εστιν. Attamen hoc silentio Salutati plura intellegit, quæ ad indolem sui adversatoris respiciunt, et quæ fortasse ei timorem Nicolai hac primo inducunt. Intellegit quoque penitus Coluccius, quoquo hæc tendant, certandum fore ob laudes erga quos optimos ea tempestas partos fecerat. Hæc est causa cur Dantem laudet, et cur conetur gradum facere ante Niccolaum, eumque commune utriusque patrimonium in Nicolai incursum antecessu jam vindicasse. Itaque *poetam nostrum* eum vocat, sed ea re non contentus pergit et quosdam laudat versus. Quod nulla tamen ex parte ei expedit, nam eo modo linguæ lapsus

comissus multa detegunt. Laudat enim versum («*plus aliquid eras quam rebar*»), qui a duobus distinctis locis summi dici potest. Ipsissima verba latina veri simile est Leonardus a quoddam ex opere *De oratore* substulisse¹²⁷, ubi Catulus Nicolai facundiam stupens, «*plus enim*» inquit «*te operæ Græcis dedisse rebus video quam putaramus.*» Quod si illa foret sola origo, per se equidem diceretur facere ei satis, qui græcorum litteris imbutus perhiberetur. At non modo inde superveniunt, verba etenim versibus aliis quoque respondent, qui sumpti a cantu XXVII *Divinæ Comædiæ Inferni* ita feruntur:

*Oh me dolentel come mi riscossi
quando mi prese dicendomi: "Forse
tu non pensavi ch'io loico fossi!"*¹²⁸

Antequam progrediamur habemus dicere necesse Coluccius non affatim potuisse verborum recordari, aut consulto perperam laudasse (utrum probabilius patet). Quicquid est, aliquis latet error, nam italice quod dictumst personam loquentem invertit: *plus aliquid eram quam rebaris*.¹²⁹ In Dantis carmine hos versus quidam diabolus profert adversus monachum qui, veniâ a Pontifici datâ, et Pontifice juxta theologos in terra et in cœlis præpotente, potius quam bene agere, credere maluerat rationibus horumce theologorum, juxta quos ei liceret pignus a Pontifice accipere («*Lo ciel poss'io serrare e disserrare, / come tu sai*», idest, quippe monachus theologiâ imbutus sciret¹³⁰), quo pignore posset pœnitentiam subire eodemque tempore peccare. Cui, quum in inferos pervenisset, diabolus iste,

*assolver non si può chi non si pente,
né pentere e volere insieme puossi
per la contradizion che nol consente.*¹³¹

Coluccius sponte hæc commutavit, quia nunc non jam “diabolus” peccatorem adit, sed ipse diabolus aditur! Hunc modum Coluccius invenit ut, inconsulto fortassis, patefaceret se agnovisse sub Nicolai verbis nihil nisi admodum sinistrum jacere. In Dantis versibus igitur altera ratio alteram oppugnat: ratio humana adversus æternam. Agitur de immortalis illâ inter philosophos (seu theologos) et sophistas pugnâ, demum usque inter philosophiam et rhetoricam. Parum restat quin Salutati Nicolaum diabolum vocet, non ea de causa quod male egerit, sed quia diabolicis sophismatis abutitur.

¹²⁷ Ciceronis *De oratore* II.152

¹²⁸ Dantis *Inferni* XXVII 121-123.

¹²⁹ Ceterum hanc inversionem ne rhetoricæ quidem arti tribuere licet, quoniam vere si voluerit sine mendis fecisse, potuerit facile (proinde ac «*Nicolae, me stupentem intueris quasi dicens, “O Coluccie, plus aliquid eram quam rebaris!”*») — præterea induxisset Nicolaum Dantem laudantem.

¹³⁰ Dantis *Inferni* XXVII 101-102.

¹³¹ Dantis *Inferni* XXVII 118-120.

... quamquam ego semper te unum ad hæc studia maxime natum aptumve putavi; sed tamen ego tantum facultatis inesse tibi non arbitrabar, quantum tu nunc in dicendo ostendisti. Itaque relinquamus, si placet, hanc totam de disputando disputatione.» [102]

Argumentum spargit metu, et metum argumento, et utrum fore ut prævaleatur nescitur. Quoniam diaboli monstraque id genus, undecumque veniunt, *are dangerous creatures*, quamobrem nunc ambigitur quonam Coluccius se versurus sit. Timet enim ne impos animi efficiatur si disputare cogatur. Ergo quodammodo expedit ut hic et nunc claudat disputationem, et quo melius poterit id assequi quam adversario extollendo in cælum? Vires ideo ad disceptandum ei deficiunt, ut superiorem suam jactantiam ultro dediscat, dummodo quis ei facultatem dederit ad principium colloqui revertendi, ubi sermo adhuc de disputandi consuetudine dummodo erat, nec vero, quo interea Nicolaus colloquium advexit, de temporis tabe virtutibusque.¹³²

Hic Robertus: «Tu vero perge, inquit, Salutate: nec enim decet te, qui modo nos ad disputandum hortatus sis, disputationem in medio positam deserere.» [102]

Sancta simplicitas. Itane? Non defuerunt qui enixe laboraverint ut constituerent quisnam in *Dialogis* optime Leonardus personatus inveniretur. Coluccius, Nicolaus, aut ipse Bruni (quem mox invisum ibimus) habent singuli quod sibi referri possit. Sed credo fore ut usquequaque operis, idque facete modo partim dico, possimus hunc Robertum (de quo, lectorem commonefacio, modo primâ paginâ aliquid cognitum habuimus) æstimare veram Leonardi personam, idest quæ optime per totam saltem partem priorem optime cum scriptoris congruit mente. Quod quum quis hæc legat stupebit tantillum hominem hoc honore cumulari. Attamen cum ejus verba per hoc opus (saltem per priorem partem) sequimur, conspicimus eum quasi ex eâ quâ celatur pænembrâ interdum exsilientem calcaria ipsi operi ejusque personis addere, quod nobis præsens testatur locus, et cujus rei plura exempla mox præbebuntur. Nihil affirmat, neque it infitias: ergo, melius ipso Leonardo, ejus subsidio copia nobis datur multo latius conspectum emittendi.

Ergo vero enimvero quid facit? Eo ducit, quo ire necesse erat, quo nisi iretur propositum totius dialogi non impleretur. Scimus Leonardum quum Manuelis Chrysoloræ scholas audiebat poetas græcos legisse, ergo fieri potest ut quæ sequuntur possint probis argumentis corroborare; at etiam si Leonardus nunquam hunc nexum concepit, possumus nos dicere hunc locum memoriæ revocare illud Homeri (quis terrarum orbis locus te vacuus, magnifice?), ubi quoddam in loco¹³³ hæc profert Athena Deiphobi instar:

¹³² Itaque res conflagimus multo maioris ponderis (ne dicam quæ magis studium excitant) quam cesent ii qui ibi agnoscunt præter “Creticum paradoxon”, sicut facit, verbi gratia, GILBERT (1971) P210.

¹³³ *Ilias* XXII.229-231

ηθεῖ' ἢ μάλα δὴ σε βιάζεται ὠκύς Ἀχιλλεύς
ἀστὺ πέρι Πριάμοιο ποσὶν ταχέεσσι διώκων
ἀλλ' ἄγε δὴ στέωμεν καὶ ἀλεξώμεσθα μένοντες

Athena Hectori suadet ut maneat, ut occidat. Non eum odit, sed factorum jussu Jovisque assentione hoc facit¹³⁴. Etiam Robertus facinus id genus patrat, namque is est, qui Coluccium e suo indigno timore excitat, sed eapropter est quoque is, qui eum ad leonis plagam vehit. Nisi Robertum haberemus, inhoneste habuissemus Coluccium. Ope Roberti Coluccium conviciis opertum habebimus, sed qui tandem asperitati stare est ausus. Hujus rei melius exemplum jamjam subest, qua occasione fusius de hisce loquar paulisper.

«Equidem», inquit Colucius, «jam timere incipio ne leonem, ut aiunt, dormientem excitarim. Sed tamen ne ille mihi noceat post videbo; nunc vero a te, Roberte, scire velim mecumne an cum Nicolao sentias. Nam ego de Leonardo non dubito: ita enim video illum in omni sententia cum Nicolao convenire, ut jam arbitrer potius cum illo errare velle quam mecum recta sentire.» Tum ego [id est, Leonardus]: «Et te, inquam, Salutate, permagni facio, et Nicolaum item; quare me æquum judicem habebis, quamvis non sum nescius non magis Nicolai causam quam meam hoc sermone agi.» «Ego vero, inquit Robertus, non ante sententiam meam aperiam, quam ab utroque vestrum fuerit peroratum: quare perge, ut instituisti.» [102]

Contulere plurimum amici verba ad vires reficiendas. Tandem excussâ timiditate consistit qualis Hector (cujus nomen, si ad rem quid pertinet, Coluccius quondam Leonardum rogavit unde originem duceret, ut legimus apud quasdam epistulas¹³⁵), quamvis sciat se a belligeratore leone aggressum iri. Antequam Roberti rogatum inquiramus quæso de quæ sequuntur cogitemus. Leonardo offert consilium primitus ab ipso Cicerone allatum, quum

¹³⁴ Walter OTTO (1947), hic proinde ac in multis, verba majorem in modum pulcherrima hoc de themate scripsit, «Sobald Zeus mit der goldenen Wage den Willen des Schicksals angezeigt hat, verläßt Apollon den Hektor, und Athene tritt zu Achilleus. Sie hilft ihm auf eine Weise, die den modernen Beurteilern anstößig erscheint — aber nur deswegen, weil sie den Sinn dieses Geschehens nicht begriffen haben. In der trügerischen Gestalt eines Waffenbruders macht die Göttin dem Hektor Mut, stehenzubleiben und mit Achilleus zu kämpfen. Mit dankbaren Freude geht Hektor darauf ein und glaubt nun, den Kampf mit einem truen Sekundanten an der Seite zu beginnen. Aber in dem Augenblick, wo er seiner bedarf, ist er spurlos verschwunden. So hat ihn also Athene dem übermächtigen Gegner ausgeliefert, und Hektor versteht sofort, daß es mit ihm zu Ende ist; er will nur noch mit Ehren fallen. Man hätte längst bemerken sollen, wie groß es gedacht ist, daß die Göttin, die hier das Schicksal vertritt, dem Unglücklichen wirklich zu einem ehrenhaften und ruhmvollen Tode verhilft.» P272

¹³⁵ I.6 «Quæsisti ex me an Hectoris nomen aliud significet quam Priami filium...» Et postea, apud I.7 «Non satis conspicuum tibi factum ais, quod superioribus ad te litteris de Hectore perscripsi, petisque et unde id nomen dictum sit, et quomodo apertius explicari, et simul admirari videris si id primævum non sit, sed postea ab eventu quodam illi viro tribubum.» Coluccio studium Hector non parva ex parta animabat.

dixisset «se malle cum Platone errare quam cum [aliis] vera sentire»¹³⁶. Haud facilis intellectu locus, sed saltem hoc haurire possumus, quod Coluccius denuo alius hominis verbis (ab)utitur ne omnino honeste laudibus contendat. Nam si Cicero ita loquens in mente quasi cogitationum nobilitatem habebat, (quem secutus Petrarca, “satius diligere bonum quam veritatem scire”¹³⁷), quid de Salutati conjicere licet? At certe suffragium addet quod facundia et disputandi pollentia nihil demum significant, nisi rectis rebus probatisque tales facultates impendantur.

De ipso Leonardo Bruni, de quo tantopere hic pugnatur, vix quicquid certi habere possumus. Procul quamvis sint jam dies quibus hæc prima facie accipi poterant¹³⁸, tamen manet mirum curnam seipsum velit in scenam instruere. Certo non ut opinionem a disputatore quopiam confirmet, quoniam multo hoc melius efficere potest contraria si curaret devincenda (quod infectum manet); itemque certo non ut se ipsum opinionem cuidam tradat, quæ postea cum aliis collisa minueretur — quia *ipsa forma dialogi*, quam seligerat, *hoc beneficium per se ipsam comparat*. Nullo genere est necesse scriptori ‘adesse’ ut monstret vitam moresque esse ambiguos, ancipites, et dubios sempiternæ. Demum vix ipse arbitrari possum hoc esse factum artis deficientis causa, quia Bruni jam testatus est se magister amphiboliarum esse et ironiæ. Si fallar, et vere ille arte deficeret, *ego* igitur ero qui falsus ero. Bene habuerit. Sed si hoc opus respectare cupimus, sicut jam pridem meum propositum esse sum fassus, nobis est alius exitus inveniendus.

Ut e superioribus liquet, si quodvis opus recte considerare desideramus sideream, ut aiunt Græci, calliditatem est opus adhibeamus. De hac re igitur, scilicet de sensu quem Leonardi Bruni personæ tribuere debemus, credo nos clavem reperire posse si meditemur quoad persuadeamur profecto esse vāsani, nedum ridiculum nimis, credere eum qui personas diversis et vehementibus argumentis hinc et illinc amictas in drama induxerat nunc reri se tam simpliciter cum alio stare posse. Nam, ad quamcumque clausulam suam investigationem deduxerit, recte opinatur Hans Baron, «*Bruni explicitly confirms this alliance with Niccoli by answering Salutati that he knew well that what Niccoli had set forth “was a plea in my cause no less than in his own”.*»¹³⁹ Æquum iudicem vult se gloriari adesse, at insuper addit («*quamvis non sum nescius...*») quæ præterita inficiunt: is scit se cum Nicolao et esse et fuisse, itemque in antecessu scit se cum eo futurum. Nec vero in eo soli stamus, qui ita hæc verba interpretemur, nos enim comitatur Robertus, circa cuius opinionem non ambigitur postquam eum testamur, Leonardi irruptione audita, sic loquentem, «*Ego vero...*» Vult enim se arcere a hujuscemodi nugis et assentationibus. Quid autem de Leonardo? Sicne loquitur reapse persuasus, an quia,

¹³⁶ Ciceronis *Tusculanæ Disputationes* I.39

¹³⁷ De sua ipsius et aliorum ignorantia.

¹³⁸ Verbi gratia, apud BARON (1966) P238.

¹³⁹ Idem.

utpote qui ita acerbum sermonem dudum auscultavit, suffusus ipse verecundiâ facundiam eloquentiam iram timet amici? Quicquid id est, omnibus dictis et definitis, nosmet, compotes mentis, hominem fore posse putabimus qui tum stulte et timide, tum ingeniose se egerit, neque nos mendum potius in ratiocinando commisisse? Illud Mansfield repetendumst: «*Bruni is not lacking in subtlety.*»

Hoc pono, quod Leonardi Bruni persona in hac *Dialogorum* parte sit omnino ironiâ referta: prorsus nihil ex ejus dictis approbandum, cum sint omnia dicta viâ devertendi causa. Itaque qui Leonardi judicia quærunt verborum ope quæ hic 'Leonardus' dixerit, necessarium est ut toto cælo aberrant. Haud difficulter erit respondere curnam hoc fecerit interroganti. Causis enim jam antea ob ceteras quæstiones allatis adjungere nunc licet antiquitus ironiam solitam esse ut quoddam fictionis genus describi, «ἡ δὲ προσποίησις ἢ μὲν ἐπὶ τὸ μείζον ἀλαζονεία καὶ ὁ ἔχων αὐτὴν ἀλαζών, ἢ δ' ἐπὶ τὸ ἔλαττον εἰρωνεία καὶ εἴρων ὁ ἔχων»¹⁴⁰; adhibetur igitur eo consilio ut *in minus* qui eâ afficitur vertatur. Quid minus unquam exstabit quam hic homunculus, qui tales æquo animo accipit vituperationes, quod sponte erraret ne a comite secederet (amica veritas, magis amicus Nicolaus?). Non possum quin negem hinc honestum Leonardum sumi. Atqui si accipiatur hic de ironia agi qua ipse seipsum afficiat, in quantum non tollitur opus! Verum in Leonardi persona veram veterum sapientiam inveniremus, quam nobis cursu tradito a Platone pervenit¹⁴¹. Leonardum intuentes et animadvertentes nos ei, idest nomine ipsius scriptoris vocato, minime gentium posse confidere, quid intercedit quominus omnis nobis tutam viam inveniendi spes eripiatur cogamurque de omnibus qui adsint hominibus suspicari, mentiantur an non; aut, quinetiam, veritati per omnes dissitæ inveniendæ operam navare. Ita mihi detur dicendi venia, ut hæc de Leonardo cum illis de Roberto nunc conflagam, ut quanta in vobis est judicandi facultas nunc impendatis ut pro viribus dicatis mendose anne quid fuerim verax.

Seriei locutorum animum intendamus. Peracta Nicolai oratione ille Colucci confragosus sermo est haberi cœptus, qui illic finem habuisset nisi esset Robertus opitulatus. Posthac nihilo promptior unquam fuit Leonardus in respondendo, quam quum Coluccium dicentem se *nolle* eum interrogare exsiluit, et allocutus est tamen. Sed vera ponderosa quæstio, juxta Coluccium (qui ejus responsum audire cupit), simulac juxta nos, maius solito momentum Roberto tribuentes, erit Roberti responsum. Qui quidem, cum a colloquio vi inferenda secedat, malitque equo non tam libenter currenti calcaria addere, se cohibet a respondendo («*Ego vero*», inquit Robertus, «*non ante sententiam meam aperiam, quam ab utroque vestrum fuerit peroratum: quare perge, ut instituisti.*»)), eoque facto nobis exemplum præbet ut eodem gestiamus.

¹⁴⁰ Aristotelis *Ethica Nicomachea* 1108a21-a23

¹⁴¹ Si in re civili Plato dux habendus, fortasse idem in litteris: «Come scriveva Leonardo Bruni a Cosimo de' Medici, Platone è dunque un'ottima guida per l'uomo politico.» P75

«Pergam, inquit Colucius, et id quod facillimum est, hunc refellam. Nam ego sic arbitror: illam accuratissimam orationem, qua iste paulo ante usus est, non tam ad se purgandum, quam ad se damnandum valuisse. Quid ita? Quia, quæ verbis probabat, ea oratio sua re atque veritate infingebat. Quare? Quia in se purgando labem istorum temporum conquerebatur, omnemque facultatem disputandi ademptam esse dicebat; ipse autem in his probandis subtilissime disputabat. Quid tum? Istane illum condemnant? Ita puto. Quamobrem? Quia stare non possunt hæc, neque cohærent, ut quæ fieri posse quis neget, ea continuo ipse agat; nisi forte egregium quoddam ingenii acumem sibi esse diceret, ut videlicet ea posset quæ non item ceteri. Quod ego si illi concedam, magno me ære alieno liberabo, quo ille me paulo ante onustum fecit, cum ego sum ab ipso etiam antiquis illis, quos solemus admirari, præpositus. Sed ego nec tibi hoc, Nicolae, concedam, nec mihi tantum assumam, plurimosque esse confido, qui acritate ingenii et mihi antecellere et tibi pares esse possint.» [102-104]

Haud multum hic quod nondum tetigerimus. Jam his accusationibus divinabamur quomodo Nicolaus responderet, idcirco Leonardus (scriptor) recte egit, quia omnia jam in antecessu adumbranti, Nicolaumque nondum interrogatum curanti ut responderet, maxima scribendi arte uso tempus ad prioris partis finem suppetivit (nec tempus tantum, vero equidem argumenti vis) ad, statim post Florentinas coronas tractatas, terminum colligendum. Ceterum fortasse vagor, nec vero credo me mente fingere res in his verbis agnoscentem quasi Leonardi facetias in Coluccium adhuc forsitan nimis mediævalibus scribendi rationibus imbutum serieque longissima interrogationum et responsorum utentem, quibus apte operum scholasticorum memoria non potest quin refricetur, neque operum sicut ipsius Colucci *De Tyranno*, ubi talia proferuntur¹⁴². Idne attingit Leonardus? Haud incredibile mihi videtur, quod porro prævias Nicolai confutationes confirmare possit, informareque Coluccium prout “defender and product of a repudiated [a Nicolao] medieval tradition”¹⁴³.

Hic Robertus: «Patere, inquit, Coluci, ut antequam longius progrediare, ego te paululum interpellem: non enim video quin tibi contradicas; nam si hic Nicolaus, quem scimus disputationibus operam minus frequentem dedisse, satis disertus in respondendo fuit, et tu fateris, nobisque videtur, quid nobis tantopere succenses, si has disputationes non frequentavimus, cum possit quis, etiam sine hoc, studiis suis facere satis?» [104]

Lector intende, quid hoc acciderit. Robertus, qui dudum negarat se sententiam aperire velle antequam «*ab utroque* [...] fuerit peroratum», nunc promissis non stat. Rursus veniunt in mentem quæ de occulta Roberti præstantia referebantur, nam cum brevi ejus contentionem consideramus, fit palam aliquid mirifici, quod ut capiamus erit satis hoc rogare: quocum stat Robertus? Cum Nicolaone an cum Coluccio? Patet: cum *neutro*. Nicolao, ideo quia in

¹⁴² Quo melius etiam nostra ipsius servetur memoria, iterum MCLAUGHLIN (1995) «The Latin of men like Salutati and Petrarch could never be mistaken for classical prose; the Latin of humanists like Bruni and his generation is an almost perfect copy.» P95

¹⁴³ QUINT (1986) P444

supervacaneos suorum æqualium conatus vim inferre eosque refrenare volebat, reliquæ antiquorum magni faciendæ fuerunt; contra Coluccius vult totam hanc Nicolai scenam missam facere, et ipsum ad rationabiliores (nedum tranquiliores) cogitationes adducere. Horsum eadem accipimus quæ jam pridem de Roberti munere cogitaveramus. Is enim præ se ferebat quandam prætextam causam, *utrumque* audire. 'Utrumque' significaret modo duo posse partem capere disputationis. Quod astu confutabit Robertus, quatenus *tertiam* ostenderit viam. Sanguis sed friget quum rem perspicimus, quia apparet novas res parare violentiores multo quam quicquid Nicolaus unquam in animo habuerit. Etenim in Coluccii animum inducere temptat aliquem posse disertum fieri vel eloquentem vel quid multis qualibet re præpotente, omnibus semotis sollicitudinibus doctrinæ a veterum libris eorumve fautoribus impetrandæ. Si quis hoc in opere est, ut vulgari loquar sermone, *Modernus*, hîc est is. Nam saltem duo sæcula Europa exspectare debuit donec cœtus ille Cartesii, Baconis, Galilæi multorumque aliorum ausus est denegare se esse antiquitatis asseclas, quam audaciam multo pridem jam Robertus hic tangit. Aptius dictum, hic enucleate jam subsunt radices temporis venturi: quæ quidem *rejectantur*, quod iterum iterumque demonstrat quam graviter debeamus semper limâ censoriâ evolvere scripta hoc genus: numquis est, qui adhuc credat humanistas juste pati quod nihil nisi imitatores fuerint reprehensiones? Immo vero saltem cacumina hæc lapideis docent argumentis se suas agendi et auctoritates seligendi rationes multo altius quam exspectarim esse cribro rimatos. Hæc est vera causa, qua hujuscegeneris opera sint extollenda et legenda, quoniam causantur *non ex ignorantia*, non ob ignaviam, non quia valuerunt ad finem ducere cogitationes. Hos homines testes advocamus, qui viam aliam quam nos sponte ingressi sunt. Hoc loco antecellet Nicolaus, quo duce animos discimus refrenare nostros, non sunt omnia appetenda suorum ipsorum causa: non doctrinæ causa discimus sed sapientiæ. Quinetiam sequar ipse consilia mea, refrenar et progrediamur.

Tum Colucius: «Ego, inquit, Roberte, quod id perutile esse putabam, idcirco vos ad disputandum cohortatus sum; cupio enim vos in omni humanitatis ratione quam excellentes videre. Nicolai vero oratione me delectatum esse fateor: neque enim elegantia in dicendo sibi defuit, neque subtilitas; sed si is absque disputandi exercitatione, quæ hoc maxime efficere potuit, tantum in respondendo valuit, quid putas illum, si ei rei operam dedisset, fuisse facturum?» Hic quum sileret Robertus certa que vultus significatione assentiretur... [104]

Coluccium, debemus confiteri, verborum supra scriptorum sensus fugit in cunctis. Nihil licet nisi verum dicat, et argumentum sit forte, nihil respondet, nihil ad rem. Robertum sequendi, deis faventibus, neque est in gradu nec velit si foret. Non poterat quin ita esset, illud enim iter mensus ad locum perveniret quo omnia hoc opere contenta necessario antiquarentur, eâque traditione bona irent perplurima pessum. Alias, immo mox (nam quid deis sæcula?). Roberto silenti, vultu neque verbis danti signum, pergere jubenti obtemperemus.

2.5 Colucci Contio. *Aufstieg und Niedergang.*

Conversus ad Nicolaum Coluccius: «Te vero, inquit, Nicolae, par est hæc eadem etiamque quæ Robertum concedere; magnæ sunt exercitationis vires, magni effectus; nihil est fere tam durum, nihil tam horridum, quod non molliat usus atque expolliat. Nonne vides oratores, ut prope omnes una voce clamant artem sine exercitatione parum valere? Quid in re militari? Quid in certaminibus? Quid denique in omni re? Quicquamne æque ac exercitationem valere compertum est? Nos igitur, si sapimus, hoc idem exercitationem in studiis nostris posse credemus, eique rei operam dabimus, nec eam negligemus. Est autem exercitatio studiorum nostrorum collocutio, perquisitio, agitatioque earum rerum quæ in studiis nostris versantur: quam ego uno verbo disputationem appello. Harum tu rerum si putas facultatem nobis hoc tempore ademptam propter hanc, ut tu inquis, perturbationem, vehementer erras. [104-106]

Dudum mecum meditatus sum utrumne hoc recte intellexerim, tandem fateri debui Coluccium hac in paragraphu sibi imparem valde fuisse, filumque omnino amisisse verborum suorum. Postea inquiremus quare hoc commiserit, sed nunc videamus quid fecerit. Enitebatur Robertus ut Coluccio persuaderetur Nicolaum potuisse dicendi facultatem absque palæstra impetrasse, idest quasi sola ingenii vi ductum et eis rebus imbutum quæ eum solum reddunt sapientem, qui sine libris discere potest (quippe ablati sint). Roberto nihil præter tacendum restat, quia Coluccius argumentum vere ponderosum — quod quis nisi divina luce feritus possit unquam sine libris doctrinam adipisci — præterire mavult, et in cuivis societati communibus præceptis potius versatur, exercitatione est opus siquid est impetrandum. Non alte nimis rem indagat, dixerim. Querenti me falsum esse, neque agnovisse «*exercitationem [esse] studiorum [...] collocutionem, perquisitionem, agitationemque earum rerum quæ in studiis [...] versantur: quam is uno verbo disputationem appellat*» dicam ipsum Coluccium hoc latuisse vel quum eloqui est orsus. Namque dicens, «*nihil est [...] quod non molliat usus atque expolliat*» procul dubio genus illud omnibus hominum negotiis commune indicare vult. Neque nos fallat quæso ista super oratoribus sententia («*oratores una voce clamant artem sine exercitatione parum valere*»), quoniam tantum hoc dicit: oratores bona laudant, mala taxant.¹⁴⁴ Curnam hæc ita sint disquirentes idcirco esse comperiemus, quod Coluccius verum rerum nexum non deprehendit, videlicet inter facultates adsequendas et exercitationes quibus quoad ad metam perveniatur sit opus. Coluccius etenim de hominum facultatibus melioribus reddendis loquitur, neque de eisdem primo effingendis. Quis eo dementiæ erit ut credat se posse omnes facultates impetrari absque ullis magistris vel præceptis, navatâ modo sedulissime in operâ fulti discentes? Una quæ animum ad eum salvandum occupare posset cogitatio detruditur, nam suum olim sicubi potuisset servare argumentum, id fuit quum *disputationem* effingeret pæne

¹⁴⁴ BURKE (1969), «One has to remember that Renaissance humanists had enormous confidence in the power of rhetoric to win battles, take fortresses, and change the form of government of states.» P107

λόγον — quam secuti Ciceronem tum rationem vocamus tum orationem. Loqui, itaque λόγος, est omnibus commune, indeque acui possit sine libris, sine magistris, solaque exercitatione, proinde ac homo factus disertus. Sed tum oleum perdit et operam denuo cum *disputatione* conferens congeriem illam disciplinarum — frustra igitur non eandem rem atque pridem Nicolaus adumbrabat præstolamur, et ergo demum nobis licet ratum habere Coluccio rationem argumentandi defecisse.

Sunt enim optimæ artes labem aliquam passæ; neque enim id unquam negabo; non tamen sunt ita deletæ, ut eos qui se illis tradidere doctos ac sapientes facere non possint. [106]

Nunc tamen Coluccius Nicolai ditionem relinquit et ad apertum allicit. Optime equidem facit, in certamenque descendit ut de ipsis certetur quas sibi Nicolaus arrogabat possessionibus: de doctrina impetranda, de magistris, de superstitibus denique libris. Nam cunctum Nicolai argumentum in eo consistebat quod putaret nova subsidia didascalica ideo scribenda non esse, quia scripturi modo pravis interpretationibus versionibus mendosisque editionibus nixi non poterant quin vel mendosiora patrarent. Jam vidimus Coluccio duas patuisse vias. Quarum prior, a Roberto edita, eo tendebat ut eam conclusionem confutaret, quæ e pravis posse bona oriri negabat (id est, humanum genus progredi posse negabat). Altera fortasse nobis sæculorum conspectum habentibus minus radicitus acta videtur, sed fortasse ea tempestate exstitit vehementius contundens, *negare præmissa*: Nicolai librorum deletorum ratione ablatâ, Coluccius progredi potest adversatorem suum ad arguendum funditus. Jam scimus eum de melio sustulisse Robertum, variis de causis, igitur considamus et dubia tollamus utrumne eo res spectentur ut sit alteram hanc viam messurus.

Nec tamen tunc, quum hæ artes florebant, omnibus placebat ad cacumen evadere, pluresque erant qui paucis, ut Neoptolemus, quam qui omnino philosophari vellent; quod item nunc ut faciamus nihil prohibet. Denique videndum est tibi, Nicolae, ne dum ea solum velis quæ fieri non possunt, etiam ea quæ fieri possunt asperneris et negligas. [106]

Quum hæc (sequentiaque) legimus et animadvertimus Leonardum magistrum suum Coluccium dignum æstimasse qui ut ita eloqueretur seligeretur paululum intellegere incipimus curiam aliqui obtulerint iudicium, quod «*Dialogi ad Petrum Histrum vice Colucci infectæ Laudationis scripti sint*». ¹⁴⁵ Non frustra emittit hanc vocem qui tanta usque gravitate et sapientiâ locutus sit. Nobis enim compertum narrat de tempore antiquo. Testudo inquit volat si Niccolaus sapit quum sic effatur «*Nam eo tempore loquitur Cicero quum difficilium indocti homines quam nunc docti reperirentur.*» Plane falsum est, eo saltem argumenti tenuis, quousque Coluccius propositionem suam consuere cupit: vero non “ætatem auream fuisse” diffitetur («*cum hæ*

¹⁴⁵ IANZITI (2012): «Riccardo Fubini has now advanced the interesting hypothesis that the *Dialogi* were actually written in place of the never-completed *Laudatio Colucii*.» P41. Laudat Fubini *L'umanesimo italiano e i suoi storici* (Mediolani, 2001), quod opus præsto habere non mihi contigit.

artes florebant»), sed docte callet qui philophari avent nunquam multos fuisse.¹⁴⁶ (Iterum autem animadvertimus, sicut jam nonnullis locis factum est, hic rimam *Dialogorum* et operis *De oratore* esse videndam: nam nunc non de philosophia vero de disputatione in universum esset agendum.) Itaque hac cognitione accincti quidni pauci antiquos imitemur paucos eosque? Siquidem tantummodo usque ad hoc punctum esset locutus, falleretur, nam quod uterque grex (scilicet, veterum recentiorumque) ex paucis hominibus constiterit parum refert si nihil reliquarum contentionum haberet pensi: fortasse illi habuerunt libros magistrosque, qui quidem desint tempestati recentiori. Alioqui non ignorat se haudquaquam superiorem discessurum (quare fortasse æquum Martem appetit); quodsi crederet, non diceret «*ea [...] quæ fieri non possunt*». Nam, hisce verbis, telis nullo genere spernendis jam Nicolaum armat ad futura prælia; cur igitur deberet aliquid recentioribus vetatum esse, ea dumtaxat de causa quod sint recentiores? Indicabant prædicta ita esse ob libros magistros ceterasque hoc genus res amissas, quæ si restituerentur nobis opem ferre possint ad artes redintegrandas. Animus est hîc nihilo magis intendendus: hoc si recusamus, una recusamus Humanismum, qui ex ea re nullaque alia magis pendebat, quam præterita bona recuperari posse putare.

Non exstant omnes Ciceronis libri? At aliqui supersunt, nec parva quidem pars; quos vel ipsos utinam probe teneremus; non enim adeo nobis ignorantiae calumnia esset pertimescenda. Perditus est M. Varro? Dolendum est, fateor, et moleste ferendum; sed tamen sunt et Senecæ libri, et aliorum permulti, qui nobis, nisi tam delicati essemus, facile M. Varronis locum supplerent. Atque utinam tot vel sciremus, vel etiam discere vellemus, quot hi libri, qui etiam nunc exstant, nos docere possunt. Sed nimium, ut modo dixi, delicati sumus: quæ absunt cupimus; quæ adsunt negligimus. At contra oporteret præsentibus, utcumque ea sint, uti, absentium vero, quandoquidem cogitando nihil proficimus, desiderium ex animo remove.

[106]

Studiosus litterarum classicarum non est vel socors nemo cui hæc legendo animus non erigatur; κτῆμα. Ne jussus nos effugerint: non curiosius petulantiam accusat Nicolai quam nostram, eaque quæ impræsentiarum enuntiat utinam omnes calleremus, neque eisdem, quibus Nicolaus angitur, angeremur sollicitudinibus¹⁴⁷. Qui vero adeo acerbe nunc taxatur ut adhuc constituere cuncter an sævus ejus excursus non sit odio tribuendus. De his postea. Attamen, ut sæpe apud Bruni, omnibus his editis, et agnita verborum vi ad probabiliter educendos animos, constat multum hinc exstare fallaciis plenum, quod in commentariis scribendis, neque in juvenibus instituendis, patefaciendum sit. Nam alicui rectam idcirco

¹⁴⁶ Ciceronem offendimus hunc Neoptoleum laudantem in opere *De Oratore* (II.155 «Sic decrevi philosophari potius, ut Neoptolemus apud Ennium, “paucis nam omnino haud placet.” Sed tamen hæc est mea sententia, quam videbar exposuisse: ego ista studia [philosophiæ] non improbo, moderata modo sint.») Enni versus recte: «Philosophandum est paucis, nam omnino haud placet.» *Andromaca* V95.

¹⁴⁷ Silvane audi te enim tangit.

ostendere viam, quod debeant “*ignorantiæ calumnias pertimescere*” haud probum mihi videtur consilium. Licet certamina suum habeant locum et superandi voluntas, deberet accedere ad seipsos potius superandos adque certamen interius. Fere idem dicenda sunt de delicatis hominibus (seu de delicato Nicolao). In quibus autem magna dubitatio cohæret, quorsum Marcus Varro? Namque hunc Nicolaus ob linguæ latinæ peritiam notarat, nunc Varroni irrogat Coluccius, ut ei Seneca suppetat. Seneca licet maximo semper honore sit ab omnibus oneratus¹⁴⁸, nunquam optimæ latine scribendi consuetudinis legumque obrusa habitus est. Sed contra acceptus est magno amore ab eis quibus humanum genus ejusque vitam moresque cordi erat excutere. Hoccine Coluccio est propositum? Fortasse illuc verba ducit, quod si de eligendo certatur, melius est quâdam romanæ linguæ doctrinæ inopiâ uti ad Senecam legendum quam exquisitum et locupletissimum sermonem comparare grammaticês causa.

Quamobrem vide, quæso, ne culpam tuam in aliud transferas, et quæ tibi imputanda sint, ea tu temporari imputare velis. Quamquam ego, Nicolae, nullo modo adducor, ut te eum existimem, qui non omnia quæ hoc tempore disci possunt, consecutus sis. Novi enim diligentiam tuam, vigilantiam, acritatem ingenii. Verum ego hæc omittere volo; sunt enim apertiora, quam ut de his disputandum sit. [106]

Nunc fere exspectandum esset ut Nicolaum segnitiae accusaret: si probe veterum traditam sapientiam tenere non valet, nullus alius erit ea de causa accusandus quam ipse. Difficultas autem manet et permagna quidem. Quomodo Nicolaus ignaviae accusari sineret, vel Coluccius id callidum aestimare, nisi alii forent qui eam pigritiam liberi quæ Nicolaum arcet impetrassent sapientiam? Nam pridem jam nos reddidit certiores Nicolaum industriam dedisse operam, aut nisi dederit parem sibi comparasse facultatem (omnia puta de «plus eras quam rebar»), ergo sibi ipsi ne contradicat erit ei opus curare non eum minuendum, sed alios augendos et gliscendos. Hoc est summi momenti, nam si ea quæ hisce rationibus nectantur colligimus fit hoc manifestum quod Coluccius, licet inconsulto, incidit in Scyllam cupiens vitare Charybdim: α) aut ipse Salutati, propterea quod Nicolaus tam diligenter operatus doctrinam quam persequebatur assecutus non est, cogitur in tempora agere causam eoque sementem facere temporis corruptelæ; β) sin autem, et tempora frugi si sunt, Nicolaus si in bonam partem accipimus est piger si in malam minimi ingenii vir. Neutrum est appetendum, sed forsitan prius altero vel minus: deberet enim e tribus illis coronis Dante Petrarca Boccaccio non quos efferrent tempora frugifera sed *summa ingenia* agnoscere parta, adeo excelsa elata ut omnis necessario delaberetur spes ea adæquandi. Opinio *nostris* temporibus vulgata eo tendet ut cum hac consentiat: *le génie*, qui quidem non temporibus sed divini spiritus flatu esset circumseptus. Coluccius vero concludere curat ut ab talibus cogitationibus disterneretur, nam nullam aliam ob causam trium coronarum affert exemplum quam ut testimonium perhibeat

¹⁴⁸ Recentioribus temporibus hæc dici posse desita sunt. At ego libentius cum THORSTEINSSON (2010) P24-27 sto, a quo Senecæ insectationes vix intellegi possunt.

hominum qui sero licet floruerint valere ad cacumina evadere. Igitur magis vult alteram eligere viam et eum cui adversatur increpare quam cedere in magna, quod statim animadvertit cujusque eum pœnitent forsan.

Proinde ita te arbitrari velim, quæ modo disserui, magis ut verbis tuis resisterem, quam ut te lacerarem, a me esse dicta. [106]

Nobis primam hanc sententiam legentibus obviam it nos recte præteritas paragraphus esse interpretatos, nam quoviscumque argumentum ducere velimus hoc pro certo ducere licet, Coluccius veram suamptem opinionem delet aut saltem velat. Adeo ut eum carpendum optaverit, non *loco argumenti*, sed prorsus *quia ipsa obtrectatio est argumentum* (ut e prædictis rescitur). Nicolaus dignus est cui hi cruciatus verborum credantur pellucere, cujus rei porro eventum offendemus mox.

Illud vero cogitare non possum, qua tu ratione adductus dixeris neminem fuisse jamdiu, qui aliquam præstantiam in his studiis habuerit. Nam potes, ut alios omittam, vel tres viros quos his temporibus nostra civitas tulit, non præstantissimos judicare: Dantem, Franciscum Petrarcam, Johannem Boccacium, qui tanto consensu omnium ad cælum tolluntur? Atqui ego non video, nec mehercule id me movet quod cives mei sunt, cur hi non sint omni humanitatis ratione inter veteres illos annumerandi. Dantem vero, si alio genere scribendi usus esset, non eo contentus forem ut illum cum antiquis nostris compararem, sed et ipsis et Græcis etiam anteponerem. Itaque, Nicolae, si tu sciens prudensque illos præteristi, afferas rationem oportet, cur ipsos aspernere: sin autem oblivione aliqua tibi dilapsi sunt, parum mihi gratus videris, qui eos viros memoriæ fixos non habeas, qui civitati tuæ laudi et gloriæ sunt.» [106-108]

Jam pridem hoc exspectabamus, sciebamusque serius occius Coluccium hucusque accedere, et ad certamen Florentinorum coronas vocare. Undecumque hæc *Disputa* conspiciatur, est bonum avocationeque dignum argumentum. Mirum in modum, post infelicis illud de Nicolai indoli, apparet Coluccius experimentum facere in tempore suo empirica, ut aiunt Graii, usurpans argumenta. “Omnia quæ ponis rationabilia licet videantur, his confutantur hominibus.” Unum præcipue quod serius proderit vidisse: «*Nec mehercule id me movet quod cives mei sunt*». Excussis illis de britannorum sophismatis, non sumus argumenta quæ ad humanismum civilem spectarent nacti abunde, qua in re confirmare videmur Seigel illum, qui talia huic operi inesse negabat omnino¹⁴⁹. Humanismus tamen civilis, quod Baronem fûgit, quodcumque est, raro non arcte cum studio patriæ conjungitur (erga quam vires effunderetur), ergo notandum quoque est Colucci ob patriam Florentinam suam mendacium, ubi nunc quidem negat se quicquid moderati habere, quod etiam sui ipsius Colucci concives sint — adeo ut recedere conetur, “*civitatem tuam*” neque ‘nostram’ enuntians. Nam ad utrorumque civitatis causam Nicolaum advocans, atque tum idem atque sibi patriæ studium denegaret ei tribuens, tum eum frugi deputans ac dignum (qui eas coronas multis, ne omnibus

¹⁴⁹ SEIGEL (1966)

dicamus, præstare dinosceret), siquidem ipse Salutati, vitam solitariam præ se ferens, confiteri “cogitur” eos posse vel antiquis illis hominibus præcellere, quænam viam Coluccius hæc omnia efficiens Nicolao relinquit ad se ipsum tuendum, quin præstantiam illam insectetur? Postea vero Nicolaum torvis oculis intuebitur ea præcipue de causa (aut modo sic causabitur? videbimus) quod *cives suos sperneret*. Hujus rei memoriam refricabimus cum ad eum locum ventum erit.

2.6 Nicolai Contio Altera. *Ad incitas*.

«Quos tu mihi Dantes» inquit, «commemoraras? Quos Petrarcas? Quos Boccacios? An tu putas me vulgi opinionibus judicare, ut ea probem aut improbem quæ ipsa multitudo? Non est ita. Ego enim cum quid laudo, etiam atque etiam quamborem id faciam mihi patere volo. Multitudinem vero non sine causa semper suspectam habui: sunt enim ita corrupta illius judicia, ut jam plus ambiguitatis mihi afferant, quam firmitatis. Itaque ne mirator, si de hisce tuis, ut ita dicam, triumviris longe me aliter ac populum sentire intelliges. Nam quid est in illis quod aut admirandum aut laudandum cuiquam videri debeat? [108]

Inquisitum jam est multos horum *Dialogorum* locos primitus ortum ducere ab Ciceronis opere *De oratore*, quorum apud aliquot morati sumus, alii vero præteriti sunt iique permulti, quod tanti non esset neque operæ pretium eos exponere. Hic autem consistamus et ad Ciceronem nostrum vertamus obtutum. Paulisper circumjacentia, Julius longinquam suam nuperrime perfecit orationem, in qua quondam nonnullos cives romanos laudaverat. Ad finem Antonium (cui commonefacio Nicolaus sæpe suspirat) est ut superiorem suam orationem pergat, cui Antonius:

Non enim vereor, ne quis me in isto genere leviolem jam putet, quoniam quidem tu Fabricios mihi auctores et Africanos, Maximos, Catones, Lepidos protulisti¹⁵⁰.

Unde ipsa Nicolai verba originem ducunt. At pergit:

Sed habetis ea quæ voluistis ex me audire, de quibus quidem accuratius dicendum et cogitandum fuit. Nam cetera faciliora sunt atque ex iis, quæ jam dicta sunt, reliqua nascuntur omnia.¹⁵¹

Dialogis hæc non insunt, quare habenis tenemur ne hisce verbis abutamur adminiculis. Attamen, nostro Marte confirmemus quæ adjiciuntur non parvum nostris addi pondus interpretationibus. Nam si ego sapio Nicolaus jam omnia argumenta sua innotuit. Vero enimvero, jam ejus secunda contione continetur responsum quod recrepanti Coluccio (2.3) dari possit — «ex iis, quæ jam dicta sunt, reliqua nascuntur omnia», ut ait Antonius. Sponsionem igitur facere circa hoc facere nolo, sed longe petium nimis erit Leonardum

¹⁵⁰ Ciceronis *De oratore* II.290

¹⁵¹ Ciceronis *De oratore* II.291

nancisci ingeniosum, qui solet, hujusmodi laudationibus ludentem librisque. Qui legendi modus porro si maiore cura fidentius stabiliatur — Ciceronis auxilio seu sine — satius atque solidius quamobrem Nicolaus Coluccium non respondet comperiremus.

Non omnino absunt causæ, cur id responsum quod opperiebamur reliquerit infectum. Primum omnium eo spectat, ut vindictam capiat ob impetus in se factos. Omnia conveniunt ut ostendatur nos recte eam partem interpretatos esse, indeque illis verbis plane constat ei justam querimoniam esse exortam, quam proferat — sic etiam super ejus mente iudicium obtinemus, quia mirum est, quis tam argumentis figurisque locuples atque facunde locutus nunc adeo vehementibus rapiatur insidiis ut non modo formam et disputationis conspectum servare valeat, verum etiam ita proterve suum adversatorem alloquatur? Peregrinam disputandi rationem, necopinanteque extrusam! Nisi cauti essemus abunde superque in disputando, auderemus nodum persolvere hunc et decidere dubitationem ipsi Nicolao tribuendo consilium hoc, qui solus is est cujus argumento hæcce iracundia prodest. Neque verba do, quia quamvis simile valde sit veri Nicolaum ad hunc modum fuisse dolosum nequissime, tamen ex ejus loquendi genere deducitur non eum se *Coluccium* falsum esse, quum eum validum in loquendo æstimavit. Quis enim sic suscenditur modum non servat, optimus nequest orator.

Ceterum boni philosophi quoque non est aliquid propter fautores calcare. Homerus a Græcis cunctis aure auscultabatur gaudente, Shakespeare dilectissimus, idem erat Dantes (qua causa eum respuat) habebatur *poeta da calzola*¹⁵² a philophastris. Non multa huc sunt addenda, modo dolendum est non modo illo tempore sed etiam nostro nonnulli ita cogitare — res neque ducere probabiles ob earum virtutes sed ob faventem aut adversatorem popellum.

Gerris tamen hisce miscet quæ mihi studium excitant valde. Mihi dico, quia nondum eo pervenimus ubi nexus effingetur quo invicemque delectabimini vos. Namque inquam multo magis continentur quam in illiam sententiam primo obtutu persuaderemur: «*Itaque ne mirator, si de hisce tuis, ut ita dicam, triumviris longe me aliter ac populum sentire intelliges.*» Apparet eum Dantem Petrarcam Bocaccium triumviro nominare quod tres fuerint; et est verum. At quæso altius verba perscrutemur atque effodamus. Triumviratus exstiterunt bini, quorum priore Julius Cæsar, Gnæus Pompejus, et Licinius Crassus; altero Marcus Antonius, Octavius Cæsar, et Æmilius Lepidus triumviri creati sunt. Ut paucis multa complectar, quomodo connectuntur omnes hi viri cum vituperationibus quibus tres hæ coronæ florentinæ seu triumviri modo cœptæ sunt cumulari? Si quid, duabus saltem de causis. Perspicuus quia bini triumviratus in romanorum re publica dominati sunt quia ab omnibus adamabantur — non in primis ob eorum virtutes, sed quia vincebant et bona largiebantur — ergo nil nisi multitudine elati sunt, quod Nicolaus in tribus coronis rejicit. Hæc est causa prætexta qua hoc verbo utatur, neque unus nexus consutus, alter enim vel acerbior et qui studium animat vel magis.

¹⁵² TANTURLI (1985)

Triumviratus sunt famâ noti, et hac *Dialogorum* ætate peculiari quodem modo, quod *rem publicam deleverint*.¹⁵³ Latius atque liberius hoc thema postmodum attingam, ad nunc temporis sufficiat condere in mente Nicolaum sparsisse his hominibus cum rei publicæ romanorum tyrannis seu tyrannidem appetentibus.

2.6.1 De Dante

Ut enim a Dante incipiam, cui tu ne Maronem quidem ipsum anteponis, nonne illum plerumque ita errantem videmus, ut videatur rerum omnium fuisse ignarum? Qui illa Virgilio verba: "Quid non mortalia pectora cogis, auri sacra fames", quæ quidem verba nunquam alicui vel mediocriter quidem docto dubia fuere, quid sentirent apertissime ignoravit. Nam cum in avaritiam dicta essent, is tamquam prodigalitem detestarentur accepit. M. vero Catonem, eum qui civilibus bellis interfuit, senem admodum barba cana atque proluxa describit, ignorans videlicet tempora; ille enim quadragesimo octavo ætatis suæ anno juvenis etiam atque ætate integra supremum diem Uticæ clausit. [108-110]

Difficulus quicquid hinc excipere poterimus nisi intente inquiramus quam novæ hæ interpretandi rationes, et quam absonæ prodiverint. Nicolaus ad fontes, sicut apud Arendt illius laudationem apparebat, adire cupiebat. Quid Vergilius dixerit, ubi dixerit, quam de causa, et hujusgeneris cetera, inquirendum est, modo postea recte annon fecerint, qui eum usurpant, erit constituendum. Potest, et debet, nos pænitere quod prorsus dædalum *Dantem* hacce curiositate afficiat, sed non sunt conatus ejus irriti omnino.¹⁵⁴ Aut sunt, si ad hanc rem huncque spectamus vatem, erunt tamen tempore labente facti frugiferi — modo non in carminibus. Minoris quamvis sit momenti meditor an aliquid habuerit in mente de Catone Uticense verba quum facit. At quos ad commentaria optat versus (*Purgatorii* I.31-36) ceteris cedant, scilicet

*Tu'l sai, ché non ti fu per lei amara
in Utica la morte, ove lasciasti
la vesta ch'al gran dí sarà sí chiara.*¹⁵⁵

Qua mirum in modum Catonem in *Purgatorio* ponens videtur salutem dare velle gentili, quod non parum ad omnes has de veterum præstantia pertinet, quum quandocumque de his argumentis sermo oriatur is veteres protegens semper in maximo rerum discrimine versatur, quia ei semper projici potest veteres (de quibus solito disputatur) gentiles necque

¹⁵³ BARON (1966) P48-61

¹⁵⁴ QUINT (1985) «Niccoli's criticisms of Dante — not only of the punishment which the poet allots to Brutus, but also of his depiction of Cato as an old man and of his mistranslation of 'Quid non mortalia pectora, cogis auri sacra fames' — proceed according to what Garin has called a "historico-philological" method of reading, the invention and authentically revolutionary component of the humanists' cultural movement.» P439

¹⁵⁵ Dantis *Purgatorii* I.73-75

christianos fuisse, indeque quicquid fit superabuntur. Scripsit olim Petrarca, «Magni quidem erant illi, sed in imo positi; nos parvi, autem in excelso Deo gratias, collocati sumus. Intempesta fuit illis nox: nobis est lucidus merides, nec propterea meliores, quia sine meritis, sed profecto feliciores dici possumus.»¹⁵⁶ Miraturi igitur eramus Nicolaum non hoc argumentum sibi sumpsisse, sed jam curnam non fecerit patefit; petebat enim maiora:

Verum hoc leve est; illud autem gravius atque intolerabile, quod M. Brutum, hominem justitia, modestia, magnitudine animi omnique denique virtutis laude præstantem, ob Cæsarem interfectum libertatemque populi romani ex faucibus latronum evulsam summo supplicio damnavit; Junium vero Brutum ob regem exactum in campis Elysiis posuit. Atqui Tarquinius regnum a maioribus suis acceperat, eoque tempore rex fuit, cum esse regem jura permittebant; Cæsar autem vi et armis rem publicam occupaverat, interfectis bonis civibus patriæ suæ libertatem sustulerat. Quamobrem, si sceleratus Marcus, sceleratiorem esse Junium necesse est; sin autem Julius laudandus, quod regem exegerit, cur non Marcus in cælum tollendus, quod tyrannum occiderit? Omitto illud quod mediusfidius christianum hominem scripsisse me pudet: quod eadem fere pœna eum qui mundi vexatorem, atque eum qui mundi salvatorem prodidisset, afficiendum putavit. [110]

Diuturna hæc controversia, quam primis labiis degustavimus ‘triumviros’ illos attingentes, postquam Dantem (in suo imprimis *de Monarchia* opere atque in *Inferni* cantu XXXIV 64-66) habuit maximum concitatorem, creberrima est Florentiæ facta. Multi sunt qui lucubrationes consumpserint suas huic themati insudando. Nostra perquam refert quod noster Coluccius inter hos et numeretur, qui quidem Tractatum *De Tyranno* composuit ut Dantis partes susceperit, certioresque nos reddiderit “*Quod Dantes Juste Posuerit Brutum et Cassium In Inferno Inferiori Tamquam Singularissimos Proditores*”¹⁵⁷. Etenim haudquaquam optime latescit has objurgationes quum in Dantem absentem tum in Coluccium esse jactas; et eum conspicientes quum dicat «*illud autem gravius atque intolerabile*» meminimus quam iratus modo esset Nicolaus, neque, uti patet, esse desitus est. Quum *Historiam Florentini Populi* Leonardus aggredietur scribendam, visum erit et talia describere et iis fovere quibus imperium rem publicam romanam videatur in deterius vertisse.¹⁵⁸ His sententiis fulcitur Hans Baron prout

¹⁵⁶ Petrarcae *Invectiva contra eum qui maledixit Italiae*.

¹⁵⁷ *Salutati De Tyranno* P35

¹⁵⁸ Locus classicus apud *Historiam Florentini Populi* invenitur: «Declinationem autem romani imperii ab eo fere tempore ponendam reor quo, amissa libertate, imperatoribus servire Roma incepit. [...] Si quis excellentes viros primum a C. Julio Cæsare bello, deinde ab ipso Augusto triumviratu illo nefario crudelissime trucidatos [...] reputare voluerit, negare non poterit tunc romanum imperium ruere cœpisse, cum primo cæsareum nomen, tamquam clades aliqua, civitati incubuit. Cessit enim libertas imperatorio nomini, et post libertatem virtus abivit. [...] Quot enim rei publicæ lumina sub Julio Cæsare extincta sunt! Quantibus principis civitas oborta! Sub Augusto inde, sive id necessarium fuerit sive malignum, quanta proscriptio! Quot absumpti cives! Quot deleti! Ut merito, cum tandem a cædibus et cruore cessaret, non clementia illa sed fessa crudelitas putaretur. [...] Longum foret singulos percurrere,

indicia qui reseraret *humanismi civis* — idest, subsidii quod Libertatis et Rerum Publicarum fautores participarent¹⁵⁹ — ut proponat *Dialogos* documentum hujusce notionis. Nolo esse is qui petulantia nimirum usus iterum clausa et peracta in harenam trahat, sed quodcumque hæc verba lego nunquam intercedere potui quominus nusquam quicquid de republicis favendo inesse viderem: multo potius de ritu et lege civitatibus sancitis («*cum esse regem jura permittebant*»), quam de omnibus undique pellendis monarchis. Præteritis igitur omnibus de regimine quod Leonardo Nicolaove foret aliis anteponendum, manifestum est Nicolaum habere multum adversus *omnes* fautores Cæsaris, qui quidem ei videntur calculum addere ei, cujus ope, ut ait Cornelius, «*magna illa ingenia cessere*»¹⁶⁰.

Ultimis illis lineis demum ostendit quantum ab ejus cogitationibus absit cogitare et interpretari per figuras: non curnam poeta id fecerit causam quia ignoraret hujus “blasphemiam” accusat Dantem, sed quoniam ratum habebat omnia de *præparatione Evangelii*, quarum rerum causa Dantes censuit afficiendum «*fere pœna eum qui mundi vexatorem, atque eum qui mundi salvatorem prodidisset*». Hæc enim mens, quæ parum curat de imperio Romano divinitus munere donatus, eadem est atque quæ intellegere valebat «*crecere tamen civitatis potentiam ac maiorem in modum attolli, romanæ magnitudinis vicinitatem prohibere.*» (HFP I.10) Rerum et operis conspiratione.

Verum hæc, quæ religionis sunt, omittamus. [110]

Demiror quid “hæc religionis esse” significat. Parum mihi videntur controversiæ quibus Cæsar circumseptus est circa religionem volitare; citius enim circa civitatem remque publicam æstimarim agi. Sed fortasse Nicolao, arbitrato parum in acutis illis argumentis, quorum protervitate procul dubio Coluccius læsus est, parum expedire posse, visum est omnia religioni attribuire, quod tunc proinde atque nunc, omnium est vas et receptaculum, ne diutius ei morari impendatur.

De his loquamur quæ ad studia nostra pertinent: quæ ab isto ita plerumque ignorata video, ut appareat id quod verissimum est, Dantem quodlibet fratrum atque ejusmodi molestias lectitasse, librorum autem gentilium, unde maxime ars sua dependebat, nec eos quidem qui reliqui sunt, attigisse. Denique, ut alia omnia sibi affuissent, certe latinitas defuit. Nos vero non pudebit eum poetam appellare, et Vergilio etiam antepone, qui latine loqui non possit? Legi nuper quasdam ejus litteras, quas ille videbatur peraccurate scripsisse: erant enim propria manu atque ejus sigillo obsignatæ. At mehercule, nemo est tam rudis, quem tam inepte scripsisse non puderet. Quamobrem, Coluci, ego istum poetam tuum a concilio litteratorum

sed tamen eadem omnibus mens fuit, ut et timerent cunctos in quibus excellens aliquid conspicarentur et quos timerent odissent et quos odissent ferro trucidarent, donec superante odio metum, ipsi quoque trucidabantur.» I.38

¹⁵⁹ Plura jam sunt dicta priore in capitulo.

¹⁶⁰ SCHELLHASE (1976) «It was Bruni who first came to see the importance of Tacitus as a source of political and historical ideas.» P17-24

sejungam atque eum lanariis, pistoribus atque ejusmodi turbæ relinquam. Sic enim locutus est ut videatur voluisse huic generi hominum esse familiaris. [110-112]

Contendet nemo profecto Dantem apprime ecclesiæ patrum scripta calluisse, sed accuratius doctus in utrorumque litteris dicetur quam modo in christianis. Vel antequam ipsa excutiamus verba, a gentilium scriptis sejungere Dantem non datur, qui, etsi opera sua antiquorum nominibus rebusque non replevisset — quod quidem et facit affatim —, nunquam absque auctoribus antiquis, quales Vergilius fuerunt et Lucretius¹⁶¹, intellegi possit. Attamen, nobis ad eloquium vertentibus oculos apparet, fere nihil, quin immo nihil, ex his dictis a Nicolao ignorari. Non igitur has sententias profert concivis sui ignarus Dantis, sed dum loquitur animadvertit quotquæque ipsius verba sint, subindeque derimit. Quare sic ita jactor indubitate? Quod saltem tres gradus insunt, quos transgressus auferre dudum dicta cogitur. Namque postea quam proposuerat “studia a Dante plerumque esse ignorata”, meminit se non privatim dicere, sed coram homines qui, memoriæ revocemus Ludovicium illum Marsilium, qui quidem — non sicut Dantem! — «tenebat non solum ea quæ ad religionem spectant, sed etiam ista quæ appellamus gentilia; semper ille Ciceronem, Virgilium, Senecam aliosque veteres habebat in ore» et cujus se fuisse commilito aut saltem discipulus Coluccius gloriabatur. Nominat igitur “studia nostra” (quorum partem caperet Coluccius) — animadvertitque hoc non esse verum (gradus primus). Non potest igitur quin illuc adducatur ut alia de causa opprobriis mordat: «Dantem quodlibeta fratrum atque ejusmodi molestias lectitasse, librorum autem gentilium, unde maxime ars sua dependebat, nec eos quidem qui reliqui sunt, attigisse.» Itaque noverit licet “quodlibeta fratrum”, tamen gentilium libros non tenebat. Quod Nicolaus fratrum quodlibeta reprobet magis cum ejus animo congruit quam ut primo conspectu videretur. Erant enim *quodlibeta* (verbum peregrinum nimis, cujus quoque peregrinatione certo Nicolaus minime delectatur) nihil nisi *disputationes*, scilicet de *qualibet* re. Nicolao, qui tam diu atque enixe est operatus ut Coluccio aliisque persuaderet disputationes fere numquam neque usquam veterum librorum damnum et desiderationem durare potuisse, quanta non foret patientia necessaria æquo ut animo ab his pateretur fraterculis absurdas tales agi disputatiunculas? In eo autem est ut delabatur, nam hæc ubi primum de ore dejecit, nobis subolet eum percepisse quam sua verba manifeste falsa essent futura. Nam apud omnes constat Danti omnium generum librorum continuam evolutionem maxime usui fuisse, ut varias et dædalas personas in operibus suis depingeret, ita ut vel hodie adeo sint hæc opera et christianorum et gentilium nominibus referta ut (magis quam ut a pudendo arceret) plerisque lectoribus, in quibus numeror, confitendum sit commentariis et expositionibus sibi esse opus. Quum igitur Nicolaus falsus sit, poteritne effugere? Opus igitur (gradus secundus), cur tam inusitatam hoc

¹⁶¹ Si verum est id quod fertur de ejus *cryptolucetianismo*. Sunt tamen multi quibus hæc omnino absona videtur; ex quibus, dantis gratia, BOYDE (1981) illustrarem *Dante Philomythes and Philosopher: Man in the Cosmos: Dante and Lucretius* P2-3

sensu nobis præstet juncturam: «*Denique, ut alia omnia sibi affuissent, certe latinitas defuit. Nos vero non pudebit eum poetam appellare, et Vergilio etiam antepondere, qui latine loqui non possit.*» Juxta leges grammaticas, ei conjunctivum adhibenti (*affuissent*) recantare deberemus (... *neque affuerunt!*). Verum enimvero, plerumque est ars rhetorica vel intricatior, indeque *artis* neque præceptorum eam vocabulo nuncupamus. Hic enim vult “neque affuerunt” audiamus, sed cur tantopere et tam concludere id firmare concupit? Etiam illud *Denique* male olet: denique, tandem, id est, omnium horum præteritorum faciamus missam. Nunc tamen παρὰ τὸ εἰωθός medium coronabit opus, nam improvise atque inconsulto consilium hac sententia aperit, «*et Vergilio etiam antepondere*» — utpote nemo Vergilium nominatim ciarat! Coluccius hoc dumtaxat attulerat, quod «*Dantem vero, si alio genere scribendi usus esset, non eo contentus forem ut illum cum antiquis nostris compararem, sed et ipsis et Græcis etiam anteponerem.*» Nusquam de Vergilio, quod nostra perquam refert, quia eo dinoscitur Nicolaus ultro Dantem increpuisse allatam ob ejus veterum librorum exiguam lectionem, qui falsus jam delarvatur. Quid multis, ipse Vergilius quum Dantem comitetur, et inter sese convenient cum quotquot ex antiquis virtute præditi sunt, et quorum notitia gentilium libris nobis tradita est. Hæc est summa et Leonardo Bruni ars, nam quam aptissime aliquis hominis secum etiam dum loquitur disceptantis figuram describendam assequi possit, is assecutus est.

Ultimæ quas pro rata parte hic proposui lineas ad binum usum vernaculæ et latinæ linguæ, utriusque decus (et dedecus).¹⁶² Nicolaus duas has res in unum congregat: non modo Dantem sermonem latinum apprime calluisse dici non potest, verum etiam palmaria sua opera scripsit italicè¹⁶³. De Dante apud cerdonibus numerando jam locuti sumus.

2.6.2 De Petrarca.

Sed satis multa de Dante. Nunc Petrarcam consideremus, quamquam non me fugit quam periculoso in loco verser, uti mihi sit etiam universi populi impetus pertimescendus, quem isti tui præclari vates nugis nescio quibus, neque enim aliter appellanda sunt, quæ isti in vulgus legenda tradiderunt, devinctum habent. [112]

Nonne jam suos in vates tres florentinos præfatus erat? Curnam eadem bis satagit, eadem de multitudini minime honesti quoquo tribuendo? Quare scimus Petrarcam non modo utriusque lingua pollentem virum fuisse, vero, quod nostra potissimum refert, quendam

¹⁶² O'ROURKE (2006?), P23-51, *Dialogos* legere vult quasi pro lingua latina apologiam, quæ quidem propter gliscentem indies præstantiam linguæ italicæ saltem in Italia periclitaretur. Quamvis mihi videatur nimis longe petatum, hic locus fortasse eminet inter eos qui huic iudicio aliquid afferre possunt.

¹⁶³ Nihil Danti præcipit, quippe qui longinque talia meditatus sit. MCLAUGHLIN (1995) «The *Convivio* theoretically champions the *volgare* and provides a practicald emonstrattion of its potential, being a philosophical commentary written in a vernacular equivalent of scholastic Latin, yet in book I, as we have seen, Dante admits the theoretical suepriority of Latin. *De Vulgari Eloquenti*, on the other hand, proclaims in theory the greater nobility of the *volgare*, but is written in the learned language.» P13

ætatum terminum esse voluisse. Si quis Nicolaus et ei similes parentem optare cupissent, Petrarcam optarent. Væ ei, qui scribere voluerit nec queri modo. Verâ hinc mæstitiâ ipse capior, nam apparet Nicolaum progredi potuisse, satis foret ut Petrarcam intuitum esse, qui quidem infelices querellas suscitavit et tremendas, qui rerum antiquarum inquisitione nunquam confectus est, et cui gratias perplurimas agimus quod magnam quidem partem antiquæ hereditatis nobis servandam sequestravit. Quarum rerum tamen nulla eum impedit quominus impetum in indoctos et in eos quibus antiquorum sapientia non cordi non erat. Qualis Nicolaus utinam foret; neque est; sed quandoquidem sectæ et hæreseis eo acerbiores exoriuntur quantum minora inter secessas partes discrimina, idem inter Petrarcam et Nicolaum. Demum quæ hæc discrimina? Quantum conjecturâ capessere queo, detruso supra dicto obice quod scribere ausit, non plura duobus, quorum prius quod, sermone latino præstans, non minus italico antecelluerit, et eâ re cuncta Nicolai argumentum in maximum rerum discrimen impellit, fulcitur enim usquequaquam in *aut/aut*, Latinum/Italicum, Veteres/Recentiores, etc, quadecausa non ejus ope unquam quævis condi possint Artes Restitutæ. Progrediamur donec alterum discrimen nos officiat.

[...] *Ita censeo: nulla enim venia dignus est, is qui tam impudenter ea quæ nescit, scire se professus est. [...] Sunt igitur maxime despiciendi ii qui quod pollicentur adimplere non possunt. Atqui nihil unquam tanta professione prædicatum est quanta Franciscus Petrarca Africam suam prædicavit: nullus ejus libellus, nulla fere maior epistola reperitur, in qua non istud suum opus decantatum invenias. Quid autem postea? Ex hac tanta professione nonne natus est ridiculus mus? An est quisquam ejus amicus, qui non fateatur satius fuisse, aut nunquam illum librum scripsisse, aut scriptum igni damnasse? Quanti igitur hunc poetam facere debemus, qui, quod maximum suorum operum esse profitetur atque in quo vires suas omnes intendit, id omnes consentiant potius ejus famæ nocere quam prodesse? Vide quantum inter hunc et Maronem nostrum intersit: ille homines obscuros carmine suo illustravit; hic Africanum, hominem clarissimum, quantum in se fuit, obscuravit. [112-114]*

Præ ceteris dicendum est me nonnulla hinc secuisse, ubi plura de hominibus nimis excelsa appetentibus narrabantur. Maxime igitur diuturnus sermo est, quo Petrarcam pulsat. Ex tanto attamen sermone, qui quidem in Viti editione non minores undetriginta lineis (!) constat, quid hauriendum? Petrarca aliquid est coæqualibus suis pollicitus, neque ea quæ se daturum se promiserat adimplevit nec expectationem: hoc per undetriginta lineas resonat. Num nobis alius respondendi modus restat præterquam confiteamur non modo de Petrarca vero de ipso Nicolao “montem murem peperisse”? At ne crediderimus hoc posse explicari si ad Leonardum scriptorem ipsum rem adducamus, qui quidem Nicolao male volebat. Hoc tamen optantes non interpretantur sed interpretationem, quæ recta fieri posset, effugere impendunt. Non Leonardus sed ipse Nicolaus est hujus arcani causa inquirendus. Eum vero, modo totum nobis adipiscamur rerum et operis conspectum, nihil fortius urget quam ut rationes suas reddat, quibus jam pridem inde ab operis primis metum anhelit ingentem ne

quaque veteribus illis se imparem ostendat. Quum primum coram dixit, nulla re cohibitus totis castris eos homines insidiatus est, qui agnoscere recusarent hac tempestate doctrinam comparari posse — juxta ejus opinione, quisquis eo consilio laboraret, ut ultra progredere sine libris antiquorum et magistris, necessario falleretur.

Petrarca, primo obtutu, non videtur inter hos debere numerari. Sed Nicolaus adeo studio inardescit solo æquandi conatus omnes, qui ab eis celsitudinibus labantur, tum propterea quia vix credit aliquem eas posse adicisci, tum propter linguam italicam, denique propter nonnulla quæ ad suam ipsius spectant indolem. Jam vidimus non parva ex parte eum idcirco esse Dantem Petrarcam Boccacium aggressum quod ægerrime tulit Coluccium eum injuriarum scopum scopum, qui quidem Coluccius hoc ejus argumenti causa coactus est facere. Sine dubitatione igitur Colucci gesta huc conduxerunt, sed attamen non minoris est momenti alia res: nam posset facile, ut Coluccio item acerbe responderet, Dantem tantum increpare, neque facit, pergitque: quum ratiocinamur, vidimusque quid de Petrarca dicat (quod non potuit adeo bene ut voluerit opus componere), idque memoriâ tenentes meminerimus quæ in operis initio vidimus, sum hujus sententiæ ut ponam Nicolaum, quum Petrarcam inspicit, id offendere quod singulis hominibus magis dolendum est: se ipsum videre cadentem vel casum. Manus do, fortasse et ipse fallor longaque aberro, sed recordantibus nobis illud de Senecâ extemplo a Coluccio nominatô arcanum («*Dolendum est, fateor, et moleste ferendum; sed tamen sunt et Senecæ libri, et aliorum permulti, qui nobis, nisi tam delicati essemus, facile M. Varronis locum supplerent*»), nonne fieri potest ut et Nicolao verba visa sint peregrina? Prorsus quod peregrina fuerint, earum gratia meminit Senecæ, illiusque epistolæ notissimæ,

Aliquem habeat animus quem vereatur, cujus auctoritate etiam secretum suum sanctius faciat. O felicem illum qui non præsens tantum sed etiam cogitatus emendat! O felicem qui sic aliquem vereri potest ut ad memoriam quoque ejus se componat atque ordinet! Qui sic aliquem vereri potest cito erit verendus. Elige itaque Catonem; si hic tibi videtur nimis rigidus, elige remissioris animi virum Lælium. Elige eum cujus tibi placuit et vita et oratio et ipse animum ante se ferens vultus; illum tibi semper ostende vel custodem vel exemplum.¹⁶⁴

Intempestive ejus cogitationes volitant vivæ circa Petrarcam, quem sibi potuisset exemplum proposuisse neque valet — nihil scribit, nihil affert, et quandoquidem Petrarca in animum irrumpit, eum pudet. Ergo quid facit? Quales parvæ verecundiæ minorisque honestatis homines, quos decora aliorum videndaque ipsorum vitia non ad virtute potiendum sed ad virtuosorum virtutes ducunt minuendas, talis Nicolaus sese degit: si ipse non audet scribere, metu errandi permotus, debet *illum metum* in laudem vertere: cautelam ex timore efficit, neque Aristotelis recordatur, qui a mediocritate sciebat nunquam virtutes abesse. Hæc est vera causa qua tantopere moretur, quia iterum iterumque mente conatur evolvere quæ nisi faceret confiteri deberet in se ipso latere. Sed redimetur. Hac in dissertatione nostri non

¹⁶⁴ Senecæ *Epistolæ Morales ad Lucilium* 11.9-10.

est Partem Alteram *Dialogorum* attingere. Sed hanc occasionem excipiam, referamque Nicolaum, quum munere donetur omnia quæ hic dicta sunt revocandi, præbet longinquam orationem omnibus argumentis Danti illatis refutandis. Contra omnia hæc de Petrarca tribus lineis placantur.¹⁶⁵

Scipsit præterea Bucolicon carmen Franciscus; scripsit etiam Invectivas, ut non solum poeta, sed etiam orator haberetur. Verum sic scripsit, ut neque in bucolicis quicquam esset quod aliquid pastorale aut silvestre redoleret; neque quicquam in orationibus quod non artem rhetoricam magnopere desideraret. [114]

Prætereunda essent hæc argumenta, nisi ut facit quæstionem attigerit paulo spinosior, quam servat excutiendam ad Partem Alteram. Vero apud futura sua opera Leonardo sæpe erit studii facultatem non modo latine italiceve scribendi sed etiam oratione solutâ vel versibus constrictâ. Ergo hoco loco nescioquid jam divinatur ex quæ ad Petrarcae præstantiam parare videbitur. Dicitur enim eum, licet non Vergilium in versibus neque Ciceronem in prosa oratione æquare potuisse, tamen Vergilium *prosa* et Ciceronem *versibus* ita. Hoc est multo intricatius quam ut hic tractandum est, servamusque ad proximam hujus opusculi partem.

2.6.3 De Boccacio

Possum hæc eadem de Johanne Boccacio dicere, qui quantum possit in omni opere suo manifestissimu[m]¹⁶⁶ est. Verum ego etiam pro eo satis dictum esse opinor. Nam cum illorum, qui tuo atque adeo omnium iudicio sibi permultum antecellunt, ego multa vitia demonstrarim, atque etiam plura, si quis in ea re occupatus vellet esse, demonstrari possent, potes existimare, si de Johanne dicere vellem, orationem mihi non defuturam. [114]

Nihil omnino dicit. Mirandum est eum non intellegere se non posse identidem dicere vitia esse manifestissima, juxta sententiam qualis “*tuo atque adeo omnium iudicio*”. Nam si quam verbum “manifestum” vim habet, debet potis esse omnes homines affectare. Quod si nequit, non est *manifestissimum*: fortasse est verum, et nihilominus summis quippe Nicolao ingeniis pateret, nam ἡ φύσις κρύπτεσθαι φιλεῖ. Sed tunc non esset manifestum.

2.6.4. Redimita coronis Florentia tribus.

Illud tamen commune eorum vitium est, quod singulari arrogancia fuere, nec putaverunt fore quemquam, qui de suis rebus iudicare posset; tantumque se ab omnibus laturos esse arbitrati sunt, quantum ipsi sibi assumerent. Itaque alter se poetam, alter se laureatum, alter se vatem appellat. Heu, miseros, quanta caligo obcæcat! Ego mehercule unam Ciceronis epistolam atque

¹⁶⁵ «At ejus liber, in quo summum studium posuit, non multum probatur. Quis est tam gravis censor, qui non probet? Vellem percontari ab eo qua ratione id faciat; quamquam si quid esset in eo libro quod improbari posset, id illa de causa esset, quod morte preventus nequivit expolire.» [138]

¹⁶⁶ Viti editio habet *manifestissimus*.

unum Virgilit carmen omnibus vestris opusculis longissime antepono. Quamobrem, Coluci, sibi habeant istam gloriam, quam tu per illos civitati nostræ partam esse dicis; ego enim pro virili mea illam repudio, neque multi eam famam existimandam puto, quæ ab iis qui nihil sapiunt proficiscitur.» [114]

Communis dixerim omnium erga poetas ætatum querella, sed hac in re fortasse pauca sunt quæ Nicolao redderemus, præter verum sed infelix illud nimis *quod licet Jovi*. Notandum modo eum hac in re iterum argumenta confudisse, et quæ dicuturus erat in Petrarcam (de carminibus solutæ orationi anteponendis) hic omnibus tribuit, quod suum argumentum non parum conterit. Perorat, in turrem suam regreditur, ubi clausus et vulgus iudiciorum securus antiquos illos scriptores poterit pergere legere.

2.7 Colucci. *Clausula Heroica*.

*restituí-me a mim
antes da fim
Sá de Miranda*

Hic Coluccius subridens, ut solet. [114]

Pedem illo «*ut solet*» offendimus et in eo est ut concidamus. Quid oculi tradere Leonardus nobis vult duobus illis verbis? Num Collucium nil ex his movet? Seigel ita temptat interpretari, «*The provocative assault of Niccoli upon the reputation of the tres vates fails to draw Salutati out. Perhaps this is an illustration of Coluccio's gravitas, for, like Socrates, he refuses to contend with an opponent who does not seriously hold the position he presents in debate.*»¹⁶⁷ Etiam Seigel optatius est a *Perhaps* incipere. Mihi vero non ita credendum. Nam quotusquisque unquam fuit, qui verbis ita sævis Coluccium allocutus est? Antonius Luschi, fortassis. Sed si Coluccius *solutus est* subridere, ego citius id personam — nunquam vere depositam — vocarem, quam responsum quod Nicolai orationi dederit. Verus igitur assecla Platonis, aut potius Socratis, sed non eis de causis quas Seigel affert, sed quoniam versatus in maximo discrimine rerum animi compos obdurat.

«Quam vellem, inquit, Nicolae, ut tu civibus tuis amicitior esses, etsi non me fugit, nunquam aliquem tanto consensu omnium probatum fuisse, quin adversarium invenerit. Habuit enim ipse Maro Evangelum, habuit Lanuvium Terentius. [114]

¹⁶⁷ SEIGEL (1968) P211. In quod ad Platonem pertinet fallitur, immo quin Socratis hoc exemplum infeliciter valde æstimemus esse adductum? Nam is inter Platonis Dialogos qui proximus huic, in eo quod ad animum spectat, *Gorgias*, de hominibus agitur qui veras suas opiniones aperire nolunt, eaque de causa vicissim refutantur, neque de causa Socrates “refuses to contend” (præsertim videndum *Gorgias* 482a-482e).

Istos non laudat homines modo ut *nunc sicut semper* despiciat, sed quod, exemplaria ex inimicis efficiens, iterare potest se Dantem Petrarcam et Boccacium tractare item atque antiqui maximos suos vates tractavere, quare facile tres has coronas quasi in cursum et temporum filum consuit, eosque cuiusdam rei publicæ reddit cives, quam quidem semper aliquis adversabitur, laudandorum quum sit hominum derrideri sempiternæ a nequam Nicolai genus.

Pace tamen dicam tua quod sentio: omnes quos modo nominavi, multo quam tu mihi tolerabiliores videntur; illi enim singuli singulis nec suis civibus adversabantur; tu vero eo contentionis processisti, ut unus tres eosque tuos cives coneris evertere. Verum me horum hominum suscipere patrocinium eosque a tuis maledictis tutari tempus prohibet; præcipitat enim jam dies, ut videtis. [114-116]

Si verba intuemur, videtur eum potissimum increpare non propter homines frugi carpendos sed quod concives fuerint. Fortasse est ita, nam si persuadere non valuit eorum virtutem advocans, quid restat quam ut humiliora hæc aggerat? Civitas, patriaque possint ad se vocare cui litterarum res publica non placeret. Sed Nicolaus — et mea quidem sententia Coluccius hoc novit — non odit civitatem suam, modo spernit. Non ad Salutati partes revocari potuit, quum is rem publicam litterarum obtestabatur, quia ne ea quidem Nicolao placet: alia fortasse placeret, divorum, quæ nulla vera foret res publica, quæ quidem non modo e mortuis quamvis præclaris sed, ut ait Burke «*a partnership not only between those who are living, but between those who are living, those who are dead, and those who are to be born*»¹⁶⁸.

Itaque timeo, ne nobis ad hanc rem tranctandam tempus deesset: est autem opus verbis non paucis ad illos defendendos; non quia tuis criminationibus respondere magnum sit aut difficile, sed quia non potest id recte fieri, nisi etiam laudes eorum admisceantur, quod pro magnitudine meritorum digne facere difficillimum est. Itaque ego istam defensionem aliud in tempus magis commodum differam. Nunc vero tantum dico: tu, Nicolae, homines istos tuo arbitratu vel parvi vel magni fac; ego quidem sic sentio, illos fuisse homines multis optimisque artibus ornatos dignosque eo nomine, quod tanto consensu omnium ipsis tributum est. Simulque illud teneo, et semper tenebo: nullam esse rem quæ tantum ad studia nostra quantum disputatio afferat; nec, si tempora hæc labem aliquam passa sunt, idcirco tamen nobis facultatem ejus rei exercendæ adempta esse. Quamobrem non desinam vos cohortari, ut huic exercitationi quam maxime incumbatis.» [116]

Quamvis vehementissime ab utroque fuerit peroratum, non obliviscitur Salutati quanam de causa huc congregati sint. Tamen non possumus quin nescioquid ironiæ iterum in ejus verbis agnoscamus, in ultima in primis sententia, nam post sic loculenta orationes, «*non desinam vos cohortari, ut huic exercitationi quam maxime incumbatis*» dicere videtur pæne jocum. Non necessario tamen, quia hæc dicit ut denuo suum autumet argumentum de artibus lapsis. Præterea jamjam accingitur ad alteram partem, ubi pæne omnia hæc argumenta iterabuntur,

¹⁶⁸ BURKE (2009) P96

interdum confutabuntur, numquam absque summa rerum ambagibus et subtilitate colorabuntur. Alterius vero partis adumbratio in eo consistere debet, quod Coluccius — seu melius dicendum Nicolaus — non stat promissis quæ hic ad finem promuntur. Vixdum laudes futuras protulerit, quum jam novas vituperationes tres illos homines amiciet. Nec vero dicta denegabit, sed denegantis instar superstites licet abditiore ratione curabit. Ita ut legentibus nobis fiat semper obscurior lectio quo altius progredimur. Nam neque spe in præfatione allata niti unquam valemus, quod «*Scis enim Colucio neminem fere graviorem esse; Nicolaus vero, qui illi adversabatur, et in dicendo est promptus, et in lacessendo acerrimus.*» Nam hujusce sententiæ lector constituere possit fore ut sibi prodesset nosse hominum vitas, qui quum ita accurate describerentur quales in vita fuerunt, tum plura tum meliore ex opere carpere posse. Vero non est ita¹⁶⁹, et ergo semper *caute*, ut ait Spinoza, persistendum fit proinde ac, quia ita est, nobis alloquerentur et eorum judiciis nostra res ageretur, non ante annos nimis jam diu transactos, sed per sæcula et hominum ætates usque ad quodvis tempus homines eos legere velint indeque sibi animi lucrent, quum igitur legendi sint cunctis ævis, tum nunc, hac horac.

¹⁶⁹ MARSH (1980) «The Niccoli of *Dialogue I* seems in fact to be the "true" Niccoli, for the views he advances in *Dialogue II* derive from other sources. Yet within the dialogue, the Niccoli of the first day is renounced as insincere while the Niccoli of the second day professes to speak his true mind. *Dialogue II*, in short, undermines the historical accuracy of *Dialogue II*. This discrepancy between reality and fiction would not have escaped contemporaries who were acquainted with the personalities whom Bruni transforms for his own literary and ideological purposes. Bruni's effort to exculpate Niccoli by a fictitious recantation violates his original principle of historical accuracy, announced in the proem, and exploits the dialogue form for its very ambiguity.» P31

Index librorum

Bruni opera

Opere letterarie e politiche (1996) Paolo Viti edidit. UTED.

Continet omnia exclusis Procemiis, interpretationibus, musis, rerum gestarum historiis et epistolis. Paginæ inter [#] ad hanc editionem referunt.

Dialogi ad Petrum Histrum (1994) Stefano Ugo Baldassari edidit. Leo S. Olschki Editore

Laudatio Florentine Urbis. (2000) Stefano U. Baldassarri edidit. Sismel.

Sulla perfetta traduzione (2004) Paolo Viti edidit. Liguori.

Continet *De Interpretatione Recta* at procemia ad interpretationes.

History of the Florentine People, (2001-2007) Volumina I-III. James Hankins edidit..

Continet *Historiam Florentini Populi* (vol. I-III) et librum *De Temporibus Suis* (vol. III).

Epistolarium Libri VIII. (1724) Albertus Fabricius edidit. Hamburgi.

Epistolarium Libri VIII. (1741) Laurentius Mehus edidit. Florentiæ.

(Plures continet epistulas quam Fabriciana editio. Gratias Jill Kraye quod mihi misit)

Aliorum humanistarum antiquorumve

ARISTOTELES. (2001) *Etica Nicomachea.* (Claudio Mazzarelli edidit) Bompiani.

BRACCIOLINI, Poggio. (1724) *In funere Aretini.* Videte: Leonardi Epistolarium.

CICERO. (1994) *Dell'oratore.* (Emanuele Narducci edidit) BUR.

— (2010) *Opere politiche e filosofiche* (Nino Marinone edidit) UTET.

(continet *De finibus bonorum et malorum* et *Tusculanas Disputationes*)

— (1995) *Bruto* (Emanuele Narducci edidit). BUR

Alia opera ex thelatinlibrary.com deprompta sunt.

DANTES (2011) *Tutte le opere*. (Giovanni Fallani, Nicola Maggi et Silvio Zennaro ediderunt) Newton Compton.

GUARINI, Battista. (2002) *La didattica del greco e del latino e altri scritti* (Luigi Piacente edidit). Edipuglia.

HOBBIUS, Thomas. (1670) *Leviathan, sive De Materia, Forma, & Potestate Civitatis Ecclesiasticæ et Civilis*. Apud Joannem Blæv. Amstelodami.

PALMIERI, Matthæus. (1725) *Della vita civile*. Hinc depromatur:
[<http://books.google.pt/books?hl=pt-PT&id=AV1DAAAAYAAJ>]

PETRARCA. Ab hac sede: <http://www.interbooks.eu/poesia/trecento/francescopetrarca.html>
omnia opera sunt 02/02/13 deprompta.

— (2001) *In difesa dell'Italia: Contra eum qui maledixit Italiæ*. (Giovanni Crevatin edidit). Esperia.

PLATO. (2009) *Tutte le opere*. (Enrico V. Maltese edidit.) Newton Compton.

POLYBIUS *Historiæ* (1993-1997) (Ludovicus Dindorfius edidit, Theodorus Büttner-Wobst retractavit.) Teubner.

QUINTILIANUS. *Institutio Oratoria*. Deprompsi hinc:
[<http://thelatinlibrary.com/quintilian.html>]

SALUTATI, Coluccius. (1942) *Il trattato "De Tyranno" e lettere scelte*. (Francesco Ercole edidit).
— Ad Colucci opera inveniendâ adhibui etiam Bibliothecam Augustanam apud
[http://www.hs-augsburg.de/~harsch/Chronologia/Lspost14/Salutati/sal_intr.html. Litteras omnes deprompsi 03/01/2013]

SENECA. (1995) *Lettere morali a Lucilio* (Fernando Solinas edidit). Mondadori.

Alii libri adhibiti

ARENDE, Hannah. (1961) *Between past and Future*. Penguin Books.

BARON, Hans. (1928) *Leonardo Bruni Aretino: Humanistisch-Philosophische Schriften*. Teubner. Lipsiæ.

— (1938) *Cicero and the Roman Civic Spirit*, in *Bulletin of the John Rylands Library*, Vol. 22, No. 1. Manchester University Press.

— (1959) *The Querelle of the Ancients and the Moderns as a Problem for Renaissance Scholarship* in *Journal of the History of Ideas*, Vol. 20, No. 1 (Jan., 1959), P3-22

— (1966) *The Crisis of the Early Italian Renaissance*. Princeton University Press.

— (1967) *Leonardo Bruni: "Professional Rhetorician" or "Civic Humanist"?*, in *Past & Present*, No. 36 (April 1967) P21-37

— (1968) *From Petrarch to Leonardo Bruni*. The University of Chicago Press.

— (1993) *En busca del humanismo cívico florentino : ensayos sobre el cambio del pensamiento medieval al moderno* (Miguel Ocampo transtulit). Fondo de Cultura Económica.

BLACK, Antony. (1992) *Political Thought in Europe 1250-1450*. Cambridge University Press

BLYTHE, James M. (2000) *"Civic humanism" and medieval political thought in Renaissance Civic Humanism: Reappraisals and Reflections* (James Hankins ed.) Cambridge University Press.

BOTLEY, Paul. (2001). *Latin Translation in the Renaissance: The Theory and Practice of Leonardo Bruni, Giannozzo Manetti, Erasmus*. Cambridge University Press.

BOYDE, Patrick. (1981) *Dante Philomythes and Philosopher: Man in the Cosmos*. Cambridge University Press.

BRAMS, Jozef. (2003) *La riscoperta di Aristotele in Occidente*. Tombolini.

BROWN, Alison. (1990) *Hans Baron's Renaissance* in *The Historical Journal*, Vol. 33, no. 2 (Jun., 1990), P441-448.

- BRUCKER**, Gene. (1975) *Renaissance Florence*. Robert E. Krieger Publishing Company.
- BURCKHARDT**, Jacob. (1860) *Die Kultur der Renaissance in Italien*. Vindobonæ.
- BURKE**, Edmund. (2009) *Reflections on the Revolution in France*. Oxford Paperbacks.
- BURKE**, Peter. (1969) *The Renaissance Sense of the Past*. Hodder & Stoughton
 — (1987) *The Italian Renaissance: Culture and Society in Italy*. Cambridge Polity Press.
- BURROW**, Colin. (2012) *Introduction to Ernst Robert Curtius' European Literature and the Latin Middle Ages* in CURTIUS, Robert Ernst. *European Literature and the Latin Middle Ages*. Princeton University Press.
- FIELD**, Arthur. (1998) *Leonardo Bruni, Florentine Traitor? Bruni, the Medici, and an Aretine Conspiracy of 1437* in *Renaissance Quarterly*, Vol. 51, No. 4 (Hiemis, 1998), P1109-1150.
- GARIN**, Eugenio. (1952) *Prosatori Latini del Quattrocento*. Riccardo Ricciardi Editore.
 — (1981) *L'umanesimo italiano*. Laterza.
 — (2008) *Scienza e vita civile nel Rinascimento italiano*. Laterza.
- GILBERT**, Neal. (1971) *The Early Italian Humanists and Disputation*, in MOLHO & TEDESCHI (1971)
- GILL**, Joseph. (1959) *The Council of Florence*. Cambridge University Press.
- GORDON**, Phyllis. (1991) *Two Renaissance Book Hunters: The Letters of Poggius Bracciolini to Nicolaus De Niccolis*. Columbia University Press.
- GRAFTON & JARDINE**, Anthony & Lisa. (1986) *From Humanism to the Humanities*. Duckworth.
- GRASSI**, Ernesto. (1980) *Rhetoric as Philosophy: The Humanist Tradition*. Pennsylvania State University Press.

HANKINS, James. (1995) *The “Baron Thesis” after Forty Years and some Recent Studies of Leonardo Bruni*. In *Journal of the History of Ideas*, Vol. 56, No. 2 (Apr., 1995), P309-338.

— (2007) *Greek Studies in Italy: From Petrarch to Leonardo Bruni*. In *Petrarca e il Mondo Greco – Atti del Convegno Internazionale di Studi, Reggio Calabria, 26-30 Novembre 2001*, ed. Michele Feo, Vincenzo Fera, Paola Megna, et Antonio Rollo, 2. Vol., *Quaderni Petrarcheschi*, vols. XII-XIII, 329-339. Le Lettere. Florentiæ.

— (Forthcoming) *Coluccio Salutati e Leonardo Bruni*. In *Il Contributo Italiano alla Storia della Cultura - Filosofia*. Treccani. Apud *Digital Access to Scholarship at Harvard*:
<http://nrs.harvard.edu/urn:3:HUL.InstRepos:10141367>

— (2005) *Humanism and Platonism*, Edizioni di Storia e Letteratura.

— (2013) *Humanism in the Vernacular: The Case of Leonardo Bruni* in *Humanism and Creativity in the Renaissance: Essays in Honor of Ronald Witt*. Brill.

HAY, LAW, Denys, John. (1989) *Italy in the Age of the Renaissance 1380-1530*. Longman.

IANZITI, Gary. (2012) *Writing History in Renaissance Italy: Leonardo Bruni and the Uses of the Past*. Harvard University Press.

JANSON, Tore. (2007) *A Natural History of Latin*. Oxford University Press.

KNIGHT, W.F. Jackson. (1950) *Vergil and Homer*. Slough.

KRISTELLER, Paul Oskar. (1961) *Renaissance Thought. The Classic, Scholastic, and Humanist Strains*. Harper Torchbooks..

LARNER, John. (1980) *Italy in the Age of Dante and Petrarch 1216-1380*. Longman.

LEVINE, Peter. (1958) *Cicero and the Literary Dialogue*. in *The Classical Journal*, Vol. 53, No. 4 (Jan., 1958), P146-151

LOUREIRO, João Diogo. (2012) *Comentário Político-Filosófico ao ΠΟΛΙΤΙΚΟΣ de Platão*. In typographis.

MACLAUGHLIN, Martin L. (1995) *Literary Imitation in the Italian Renaissance*. Clarendon Press.

MANSFIELD, Harvey. (2000) *Bruni and Machiavelli on civic humanism in Renaissance Civic Humanism: Reappraisals and Reflections* (James Hankins ed.) Cambridge University Press.

MARSH, David. (1980) *The Quattrocento Dialogue*. David. Harvard University Press.

MIRAGLIA, Aloisius. (2013) *De causis corruptæ institutionis Latinæ*. Contio habita est Amstelodami, in Divæ Agnetis Sacello Universitatis Amstelodamensis. 16/03/2013. Potest hic [http://www.youtube.com/watch?v=_OyhWKTmJBo] inveniri.

MOLHO & TEDESCHI, Anthony & John. (1971) *Renaissance: Studies in honor of Hans Baron* (ediderunt). Northern Illinois University Press.

MOMIGLIANO, Arnaldo. (2012) *Essays in Ancient and Modern Historiography*. The University of Chicago Press.

MONTEIRO, Miguel. (2013) *A parábola dos talentos — A herança clássica & a grafia do Latim*. Potest hinc depromi: [<http://origemdacomedia.blogspot.pt/2013/05/a-parabola-dos-talentos-heranca.html>]

MORGADO, Miguel. (2010) *Autoridade*. Fundação Francisco Manuel dos Santos.

NIETZSCHE, Friedrich. (1869) *Homer und die klassische Philologie*. Potest apud [www.nietzschesource.org] inveniri.

NORTON, Glyn. (1984) *The ideology and Language of Translation*. Librairie Droz.

O'ROURKE, Cara Siobhan. (2006?) *Latin as a Threatened Language in the Linguistic World of Early Fifteenth Century Florence*. Dissertatio ad lauream magistralem adipiscendam. University of Canterbury.

OTTO, Walter Friedrich. (1947) *Die Götter Griechenlands — Das Bild des Göttlichen im Spiegel des griechischen Geistes*. G. Schulte-Bulmke.

POUND, Ezra. (1987) *ABC of Reading*. New Directions.

QUINT, David. (1985) *Humanism and Modernity: A Reconsideration of Bruni's Dialogues*. in *Renaissance Quarterly*, Vol. 38, No. 3 (Autumni, 1985), P423-445. The University of Chicago Press.

REIS, Ricardo. (2007) *Poesia*. Assírio & Alvim.

RICO, Maria João Toscano. (2011) *Recepção de João Cassiano e reflexos na formação da linguagem literária portuguesa*. Dissertatio in Litteris Latinis ad lauream doctoralem impetrandam apud Facultatem Litterarum Universitatis Ulisipponensis

ROLÁN, HERNÁNDEZ, SUARÉZ-SOMONTE, T. González, A. Moreno, P. Saquero. (2000) *Humanismo y Teoría de la Traducción en España e Italia en la primera mitad del siglo XV*. Ediciones Clásicas.

ROSEN, Stanley. (2003) *Hermeneutics as Politics*. Yale University Press.

RUBINSTEIN, Nicolai. (1986) *Florentina Libertas in Rinascimento: Rivista dell'Istituto Nazionale di Studi sul Rinascimento*. Seconda serie. Vol. 26 (1986), P3-26.

RUNCIMAN, Steven. (1970) *The Last Byzantine Renaissance*. Cambridge University Press.

SABBADINI, Ricardo. (1906) *Le scoperte dei codici latini e greci ne' secoli XIV e XV*, Vol. 1. Sansoni. Florentiæ

SHELLHASE, Kenneth C. (1976) *Tacitus in Renaissance*. University of Chicago Press.

SEIGEL, Jerrold. (1966) "Civic Humanism" or Ciceronian Rhetoric? *The Culture of Petrarch and Bruni*. In *Past & Present* (Jul 1966). P3-48.

— (1968) *Rhetoric and Philosophy in Renaissance Humanism: The Union of Eloquence and Wisdom, Petrarch to Valla*. Princeton University Press.

- SKINNER**, Quentin. (2002) *Visions of Politics Vol II: Renaissance Virtues*. Cambridge University Press.
- STRAUSS**, Leo. (1952) *Persecution and the Art of Writing*. The University of Chicago Press.
 – (1953) *Natural Right and History*. The University of Chicago Press.
- TANTURLI**, Giuliano. (1985) *Il disprezzo per Dante dal Petrarca al Bruni in Rinascimento* (2^a serie Vol XXV). Leo S. Olschki Editore
- THORSTEINSSON**, Runar. (2010) *Roman Christianity and Roman Stoicism: A Comparative Study of Ancient Morality*. Oxford University Press.
- TRINKAUS**, Charles. (1979) *The Poet as Philosopher: Petrarch and the Formation of the Renaissance Consciousness*. Yale University Press.
- VERDON**, Timothy. (2009) *Pagans in the Church: Raphael's "School of Athens" and Renaissance Cross-Cultural Dialogue*. Department of Art and Art History, Stanford. Potest hic [<https://itunes.apple.com/us/itunes-u/department-art-art-history/id385655336>] inveniri.
- VICKERS**, Brian. (1988) *In Defence of Rhetoric*. Clarendon University Press.
- VIROLI**, Maurizio. (1994) *Dalla politica alla ragion di stato*. Donzelli.
- VITI**, Paolo. (1992) *Leonardo Bruni e Firenze: Studi sulle lettere pubbliche e private*. Bulzoni.
 – (1990) *Atti di convegni – Leonardo Bruni: Cancelliere della Repubblica di Firenze: convegno di Studi, Firenze, 27-29 ott. 1987*. Leo S. Olschki Editore
 – (Necnon ejus *Opere letterarie e politiche* apposita Præfatio legenda valde.)
- WILSON**, Nigel. (1992) *From Byzantium to Italy*. Duckworth.
- WITT**, Ronald. (1996) *Hans Baron's Renaissance Humanism* in *The American Historical Review*, Vol. 101, No. 1 (Feb., 1996), P107-109.
 – (1976) *Coluccio Salutati and His Public Letters*. Librairie Droz.
- YORAN**, Hanan. (2007) *Florentine Civic Humanism and the Emergence of Modern ideology* in *History and Theory*, Vol. 46, No. 3 (Oct., 2007), P326-344.